SYNODVS VENETA SECVNDA.

AB ILLVSTR. ET REVEREN.
D. D. LAVRENTIO
PRIOLO

Patriarcha Venetiarum, Dalmatiæque Primate.
Quarto Anno sui Patriarchatus celebrata
Diebus 15. 16. 17. Nouemb. 1594.

SANCTIS. D. N. CLEMENTE OCTAVO
PONTIFICE MAXIMO SEDENTE.

CVM PRIVILEGIO.

BIBLIOTECA NAZ
ROMA
VITTORIO EMANUELE

VENETIIS,
ud Franciscum Patrianum. Super Pontem Riuoalti.
M. D. XCV.

SYNODVS

VENETA

SECVNDA.

AD ILLVSTR. ET REVEREN.

D. D. LAVRENTIVM

PRIOLO

Patriarch. Constantinop. Administr. Venet.

Quarto Anno Eji Patriarchatus celebrata.

Die 15. 16. 17. Novemb. 1594.

SANCTISSIMI CLEMENTIS OCTAVI

PONTIFICIS MAXIMI IVSSV.

CVM PRIVILEGIO.

VENETIIS.

M. D. XCV.

IN ALTERAM SYNODVM

AB ILLVSTR. AC REVEREN. VENETIARVM PATRIARCHA

LAVRENTIO PRIOLO

Nuper indictam

IOSEPHI BONFADII VENETI

Ecclesiæ D. Benedicti. Octastichon

Nulla ferunt segetes sitientibus arida glebis
Iugera, temporibus non renouata suis.
Virtutum nec se vlla valent nisi mente subacta
Perpetuo legum semina ferre metu.
Iure igitur, sacri ô Præsul decus ordinis ingens.
Ne sterili exundet putris arena solo,
Creber, & assiduis commissa noualia sulcis
Excolis, & largo culta liquore rigas.

eiusdem Decastichon

Ne mihi se legum antiquo Minoia tellus
Nomine, & insigni iactet honore ducis.
Nec celebrata diu Lacedæmon iura Lycurgi
efferat, aut ritus Cecropis ora suos.
Mystica Panthoidis taceant arcana seueri,
Integri & pietas, castaque scita Numæ.
Prouida, Laurenti, tua mens, atque inclyta legum
Obstruxit veterum gloria luminibus.
Secla Prometheo si te æuo prisca tulissent,
Dictus primò hominum non foret ille sator.

Errata in Synodo.

	Erratum	Correctio
fol. 10. lin. 35.	Reſtituttis	inſtitutoris
fol. 17. lin. 7.	Eccleſticorum	Eccleſiaſticorum
fol. 17. lin. 37.	Conſtitutionis	Conſtitutiones
fol. 19. lin. 17.	ſine presbyteris	ſiue presbyteris
fol. 24. lin. 9.	Aachipresbyter	Archipresbyter
fol. 24. lin. 11.	Ecclaijs	Eccleijs
fol. 24. lin. 37.	prout	prout
fol. 27. lin. 37.	Venetatium	Venetiarum
fol. 30. lin. 14.	cotra	contra
fol. 30. lin. 38.	quadrienmum	quadriennium
fol. 33. lin. 13.	Reuerendiſſimo	Reuerendo
fol. 31 lin. 23.	Rationi, ut	Rationi conueniat, ut
fol. 32. lin. 28.	Cancelarus	Cancellarius
fol. 33. lin. 18.	appunct.	apparet.
fol. 33. lin. 33.	clrricis	clericis

IOANNES MOZANEGA

I.V.D. PROTHONOTARIVS APOSTOLICVS,

ECCLESIAE S. BARTHOLOMEI De Riuoalto perpetuus,

Et in Patriarchatu Venetiarum Vicarius Generalis.

Clero Venetiarum vniuerso.

ANIMARVM Curæ præpositus ne dum suam ipsius vitam, & mores rectè, ac moderatè componere, sed subditorum quoque semitas diligenter perscrutari, eosque in rectam viuendi normam, vbi deuios inuenerit, omni conatu restituere debet. Hely namq; summus Sacerdos (vt libro 1. Regum sacra refert Historia) licet bonus existeret, quia tamen filiorum excessus non corripuit, animaduersionis diuinæ vindictam excepit; quare meritò hortantur Episcopi tanquam in specula constituti, vt eò diligentius subiectorum curam, ac sollicitudinem gerant, quò segnius, & damnabilius ipsi viuerent, vbi Prælatorum vigilantiam deesse animaduerterent. Verum cum Episcopus Pastorem, & non percussorem, Doctorem, non Iudicem se subiectis præbere debeat, & monitis potius, quam pœnis regere ipsum planè deceat, salubri sanè Synodorum instituto Pastoris, & Doctoris officio satisfacit, cum in eisdem de cuiusque proprio munere, de Ecclesiarum cultu, ac morum reforma-

tione

tione monet, & instruit. Doctor igitur, ac Pastor vester, Sacerdotes Veneti, iterum vos paternè alloquitur, atque salutaribus decretis, quæ nuper in secunda Diœcesana Synodo promulgauit ad rectam viam reducit; vobis grata fore non ambigo; qui enim Pastoris vocem non agnoscit, qui patrem quamuis blesum, & ferè elinguem non audit, is sanè non agnorum, sed hedorum gregi cooptari, is Cham filij nequam germen merito dici debet. In priori Synodo plura iam vobis proposita sunt, ac inde non modicam vtilitatem ad vos ipsos, & Ecclesias vestras emanasse omnes iam fatentur. In hac verò secunda Synodo si non plura, at certè non minus vtilia exhibentur, prout facto edocti fateri compellemini, si alacri animo, & diligenter recepta, & obseruata à vobis fuerint; Profecto in dies inueterata innouare, vel declarare, siue etiam nouas leges ferre ita necessarium est, vt tam Ecclesiastica, quam politica administratio id passim attestentur, verum magis expediret, vt nihil statueretur, quam vt bene ordinata non obseruarentur. Prior pars ad Episcopum, & superiorem, alia verò ad subditos ipsos spectare satis apparet. Patriarcha vester vigilantissimus sacrorum Conciliorum saluberrimis præceptis paret, vbi statutis temporibus in vnam Synodum vos vniuersos congregat, ac opportunè decernit, vestrum erit ea vigilantia incumbere in executionem nuper decretorum, vt fructus vberes pastor ex ouili recipiat; amantissimus pater à filijs obsequentissimis peculium non modicum lucretur; quod si desides fueritis, quid quæso turpius accidere poterit? turbidas aquas nemo ex foueis haurit, nedum bibit; vbi ex fonte viuo aquæ usu clarę, ac gustu suaues profluunt. Excusari Clericus non potest si per inuios calles incesserit, cum Prælatus rectas, faciles, & minimè sordidas, ac pluuerulentas vias eidem munierit; quinimò magis, magisque accusatur, cum sęculares

culares clericorum vitam, & mores speculantes quem ad sortem Domini ascriptum putant, non quæ Domini sunt agere perspexerint. Vos sacerdotes Veneti antesignani, & duces populi huius estis, vos lumen, quo videat, Vos ignis, quo incalescat, vos denique sal, quo in putredine integer, incolumisque seruetur. Verum quid populo eueniet, si sal infatuetur, si ignis frigescat, si lumē extinguatur, & Duces inimicis eius obscquentur? In eum sanè locum Christianus populus deductus est, ut quisque habeat præ oculis quem imitetur; quare fideles parochum, parochi Episcopum, Episcopi uerò omnium Episcoporum ducem Sanctissimum Romanum Pontificem imitari debent, sed magis laborandum est, ubi exemplar imitandum ex omni parte splendescit. Habent Episcopi exemplar quod in excelso monte eisdem à Deo monstratum est, nempe Clementem Romanum Pontificem admirabili eruditione, eximia pietate, indefessa sollicitudine, alijsq; uirtutibus, & egregijs gestis adeo insignem, ut nomen suum meritò illustrasse, & immortalitati commendasse uniuersæ Reipublicæ Christianę clarissimè pateat; Vobis uerò in humiliori monte aliud exemplar proponitur, sed ita insigne, ac præclarum, ut eius religionem, studium, curam, uigilantiam, prudentiam denique semper præ oculis habere, ac iuxta eius formam uos ipsos componere meritò debeatis. Laurentius enim Priolus Patriarcha dum grauissima Reipublicæ negotia administrauit Senator religiosus semper extitit, gubernationem uerò huius patriarchalis Ecclesiæ tenens talem omnibus præsefert, ut num Pastoris pietas, & religio, an Senatoria Maiestas, & prudentia maior sit, non facilè appareat? quod si parochi, & Sacerdotes populo sunt præpositi, ut Episcopus Clero, uobis sanè laborandum erit, ut uita, moribus, ac religione undique conspicui uideamini, ne fideles quod reprehendant,

hendant, non quod sequantur in uobis animaduertant, quorum enim uita, & mores discrepant à doctrina, quam docent, ij sanè destruunt exemplo, quos instruunt uerbo, non Doctoris, sed corruptoris potius nomen merentur; qui uerò proprijs commodis, ac lucris inhiantes subiectorum curam negligunt, tonsoris, non pastoris officium exercent, Pilati, non Prælati munere funguntur. Vos itaque rogo ut non dedecoris, sed decoris semitas amplectentes promptè suscipiatis, quę prudenter quidem statuta sunt, ac ita uiuatis, ut laudari tanquàm præpositorum uestrorum diligentes imitatores, suspici uerò à subiectis tanquàm Duces, & Magistri mereamini. Deus omnium bonorum auctor, & largitor pacem salutarem omnibus impartiri dignetur. Valete.

Dat. Venetijs ex Patriarchali Palatio Kal. Septemb. M. D. XCV.

INDEX CONSTITVTIONVM SYNODALIVM.

Cap. I. De Nonnullis in Missarum celebratione præcauendis, & obseruandis. pag. 2

Cap. II. De declaratione, & moderatione quorundam decretorum de matrimonijs ritè celebrandis in prima Synodo publicatorum. pagina. 4

Cap. III. De diuinis Officijs recitandis, & celebrandis. 5

Cap. IIII. De Indulgentijs. 7

Cap. V. De sacris Imaginibus. 9

Cap. VI. De Ieiuniorum obseruatione. 10

Cap. VII. De Festorum solennijs debitè celebrandis. 12

Cap. VIII. Quod nemo clericus, vel Sacerdos secularis, vel regularis exorcizare audeat sine licentia. 12

Cap. IX. De pijs Confraternitatibus laicorum tam erectis, quàm erigendis. 14

Cap. X. De reparatione domorum Ecclesiarum per beneficiatos facienda. 17

Cap. XI. De bonorum Ecclesiasticorum conser-

uatione, eorumque locatione, & distractione. 18

Cap. XII. De Procuratoribus, siue defensoribus Ecclesiarum. 21

Cap. XIII. De nouem Congregationibus Sacerdotum, & clericorum huius Ciuitatis. pagina 23

Cap. XIIII. De Collegio cleri nouem Congregationum. 27

Cap. XV. De munere, & auctoritate procuratorum Reuerendi Cleri Generalis, & Collegij nouem congregationum. pagina 29

Cap. XVI. De approbatione Apostolica quarundam constitutionum in prima Synodo publicatarum 32

Cap. XVII. De obseruatione Decretorum Synodalium. 33

INDEX EORVM QVAE ACTA, Et lecta sunt in Synodo.

Sessio Prima. *pagina* 34

ORATIO in Synodo recitata p. 35

Fidei professio 45

Fidei iuramentum, & reuerentiale obsequium. 45

Sessio Secunda. *pagina* 46

BVLLA Pij Papæ V. contra non recitantes diuinum officium. p. 47

Bulla Pauli Papę I I. contra alienantes bona Ecclesiastica. 48

Sessio Tertia. *pagina* 50

VERBA Bullę Pij Papę V. contra pauperes, in Ecclesijs mendicantes. pag. 50

Deputati in reuisione computorum Seminarij. 51

Litteræ Illustrissimi, & Reuerendissimi Cardinalis Alexandrini de, & super congregationibus pro negotijs Cleri faciendis. 51

Litteræ Illustrissimi, & Reuerendissimi Cardinalis Alexandriini de interpretaione, & extensione priorum litterarum. 53

Resolutio Sacrę Congregationis super Concilium in prædictis litteris citata. 53

Litterę Illustrissimi, & Reuerendissimi Cardinalis Alexandrini de confirmatione quorundam Decretorum Synodalium. 54

Memo-

Memoriale pro parte Cleri presentatum contra nonnullas Constitutiones. 54
Litterę Illustrissimi, & Reuerendissimi Cardinalis Alexandrini de eadem materia. 56
Reuisores, & Magistri cereimoniarum. 57
Visitatores Sexteriorum. 57
Iudices Synodales. 58
Examinatores Synodales. 58

Errata in actis, & lectis Synodi.

	Erratum	Correctio
fol. 34. lin. 4.	anno 1595.	anno 1594.
fol. 36. lin. 2.	oui onus	qui onus
fol. 36. lin. 11.	era dignit.	eam dignit.
fol. 36. lin. 31.	degiat	degat
fol. 38. lin. 18.	magnitudini	magnitudine
fol. 40. lin. 36.	hęc me	heu me
fol. 41. lin. vlt.	audacimq;	audaciamque
fol. 42. lin. 27.	eccleſiam	eccleſia
fol. 43. lin. 1.	ad eo	adeò
fol. 50. lin. 20.	obſtrichos	obſtrictos
fol. 51. lin. 17.	Illuſtriſſima	Illuſtriſſimam
fol. 53. lin. 12.	decentici	decentia

IN NOMINE SANCTAE ET INDIVIDVAE TRINITATIS,

Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

NOs Laurentius Priolus miseratione Diuina Patriarcha Venetiarum, Dalmatiæque Primas, ad Dei Omnipotentis, ac Deiparæ Mariæ semper Virginis, Beatiq; Petri Apostolorum Principis, huius Ecclesiæ patroni, ac Beati Marci Euangelistæ Serenissimæ Reipub. Venetiarum protectoris laudem, secundam hanc nostram Diœcesanam Synodum in Spiritu Sancto congregatam benedicimus, atque pro Cleri nostri Ecclesiastica disciplina, morumq; reformatione, Diuini cultus augmento, & Ecclesiarum nostrarum debitis obsequijs hæc, quæ sequuntur statuimus, decernimus, & publicamus; Dominum, totis uisceribus rogantes, ut, quæ eius auxilio à nobis sancita sunt, à uobis prompte suscipiantur, & inuiolabiliter obseruentur.

De nonnullis in missarum celebratione præcauendis, & obseruandis. Cap. I.

MOrum corruptelis legitimè statuta quandoq; deprauantur, ac scãdalosa aliqua usu recipiuntur, quæ omnia emendationem, & reformationem Episcoporum expostulant, maximè si in salutari Missarum sacrificio interueniant. Nullus itaque sacerdos in futurũ nouam missam celebraturus sacris indumentis ornatus populo se exponat ad eleemosynas nedum petendas, sed potius extorquendas, nec minus inter missarum solemnia ab altari discedere, & Ecclesiam circuire, ac eleemosynas quęritare possit; aliàs & extortas pecunias locis pijs arbitrio nostro restituat, & Missarum celebratione per mensem sit priuatus. Permittimus nihilominus celebraturis missas nouas, ut ad populum tempore debito secundum missalis præscriptum se uertere, ac eleemosynas sponte oblatas recipere possint, dummodo ab altari, uel Capella intra quam celebrant non discedant, eamq; modestiam seruent, ut turpis quæstus longe absit, & pietas nutriatur, prout sacra etiam Cardinalium Congregatio censuit obseruandum. Diaconi uerò, qui prima uice Euangelium in Ecclesia publicè decantare uoluerint à similibus ostentationibus abstineant, ac importunas eleemosynarum exactiones à Sacro Concilio Tridentino reprobatas deuitent, nisi per quinquennium ad Sacrum præsbyteratũ non promoueri uoluerint, prout ad id inhabiles, & indignos iudicamus; Verum, si sacerdos celebrans aliquas oblationes, & eleemosynas inter eademmet Missarum solemnia, forma iam præscripta perceperit, eas Diacono prædicto primum inseruienti deberi, ac consignari mandamus.

Prohibitum quoq; erit quibuscunque sacerdotibus inter Missarum solemnia seipsos, uel alios populo astanti commendare, siue eleemosynas petere, Parochis exceptis, uel de eorum mandato alijs sacerdotibus, qui pauperes Ecclesiæ commendare, siue pro necessarijs Ecclesiæ ad eleemosynas præstandas populum cohortari poterunt: Cæteri uero Sacerdotes in altari petere uel recipere non possint eleemosynas, nisi illis diebus in quibus communi, & laudabili consuetudine populus pietatis, ac religionis intuitu oblationes offerre consueuerit.

In aliquibus Ecclesijs Missarum solemnia antelucanis horis quã doq;

doq; certis diebus celebrantur præsertim in festiuitatibus Annuntiationis, ac Sancti Ioannis. Cumq; hinc nonnulli Dei timore postposito scandali, atq; irreuerentiæ occasionem percipiant, & ea inter tenebras loqui, & agere impudenter audeant, quæ media luce abhorrerent; propterea in prædictis, uel alijs festiuitatibus, ne dum Missæ horis antelucanis, celebrentur, sed Ecclesię ante auoram non aperiantur.

Inter missarum celebritatem, uel diuinorũ officiorum persolutionem pauperes mẽdicantes per Ecclesiam eleemosynas petentes circumire non permittantur, sed eos ad Ecclesiarum ualuas stare, & absq; uociferationibus modestè eleemosynã quærere Rectores quarumcunq; Ecclesiarum curent, & cogant; atq; aliquem deputent qui eos eijciat ab Ecclesia, nè & sacerdoti celebranti, ac astantibus, diuinaque audientibus impedimento sint; quòd si negligentes fuerint à nobis iuxta Pij V. Constitutionem corripientur.

Nullus Parochus extra propriam Ecclesiam Dominicis, siue alijs ex præcepto festiuis diebus Missam celebret, nec ab Ecclesia sua discedat quacunque excusatione postposita, præsertim mansionariarum, uel nuptialium benedictionum occasione; cum obiurgatione maxima digni sint, qui propria Ecclesia relicta in qua celebrare tenentur, festiuis diebus per Ciuitatem uagari, & in alienis Ecclesijs celebrare uoluerint; quod si eisdem diebus alibi quoque celebrandarum missarum obligatione obstringantur, tunc ipsi per se in propria ecclesia celebrent, in alijs uero per idoneos, & approbatos sacerdotes muneri debito satisfaciant, seruato tenore Constitutionis Xij. quam in priori Synodo edidimus.

Inter missarum solemnia singulis Dominicis diebus festiuitates, & ieiunia quæ infra futuram hebdomadam occurrerint denuncientur populo, nequè alia publicentur, quæ pietatem, & religionem non redoleant.

Sacerdotalis Ordinis munus est Deũ assidue deprecari pro populo, sed eò magis pro eis qui diuina dispositione populũ regunt; Vnde committimus omnibus, & quibuscunque sacerdotibus in hac Inclyta Ciuitate celebrantibus, ut in Missarum sacrificijs pro Serenissimo Duce, ac Republica Venetiarum pias Deo preces offerant, et ubi secreto iuxtà ritum Missalis Romani pro summo Pontifice, ac Antistite orauerint, pro Duce, & Replubica pariter precentur; cum ex D. Pauli iussu pro Regibus, & ijs, qui in sublimitate constituti sunt obsecrationes fieri debeant; atque fidei catholicę propugnatio, erga Ecclesias religiosa uenẽratio, ac in popu-

lis regendis uigilantia, æquitas, & pietas, in quibus Dei munere Respublica exercetur, & præluceat, exposcant nedum Ecclesiastico rum, sed omnium subiectorum deuotas, ac pias ad Deum pro ea preces. In die quoque Parasceues inter missarum solennia oratio pro Duce, & Replubica Venetiarũ decantetur in quibuscunque Ecclesijs; cum id ualde deceat, atque meritò similis commemoratio pro alijs magnis Principibus fieri passim consueuerit in proprijs eorum Regnis, & Dominijs.

De declaratione, & moderatione quorundam decretorum, de matrimonijs ritè celebrandis in prima Synodo publicatorum. *Cap. II.*

QVod nobis maximè in optatis fuit, id Deo fauẽte conspicimus, cum Ecclesia nostra non modicam utilitatem ex decretis in prima nostra Synodo publicatis receperit; ac, quòd maiores fructus recepturа in dies sit, magnam hinc spem concipimus. Verùm, ut eò diligentius, quæ decreuimus executioni demandentur, omniq́ue careant dubitatione, declaramus in præsenti Synodo nonnulla, quæ aliàs in prima Synodo sub cap. 7. promulgauimus.

In exploranda itaque sponsi, & sponsę uoluntate ante denuntiationum in Ecclesia publicationem, Parochi satis eam apparere intelligant, ubi saltem parentes sponsi, uel sponsæ, uel aliqui strícto consanguinitatis gradu cum eisdem sponsis coniuncti affirmauerint, eam esse sponsi, uel sponsę uoluntatem, cum eis plena fides in his præstari possit: mandamus autem, ut in libro scribatur nomen illius, qui id fuerit attestatus, quò semper constare queat cuius commissione denunciationes sint publicatæ.

Prima fidei rudimenta omnes scire debent, & de his profectò interrogandi sunt, præsertim ij qui matrimonium contracturi filios nascituros piè, ac religiosè educare, & instruere debent; uerùm non ab eis id perquirendum est, quorum uitam, ac mores Parochi ita nouerint, ut dubitari non possit quin necessarijs ad salutem sint instructi; nos enim animarum profectum inquirimus, nec matrimonium impedire, uel retardare quoquomodo intendimus: unde Parochorum curæ committimus, qui personarum qualitatem considerantes, ità prudenter in his procedant, ut ru-

des ad discendum fidei rudimenta occasione matrimonij inducant; alios uerò pios, & eisdem bene notos de his interrogare necessarium non est: quòd si Parochi de his interrogauerint pœnitentes in Sacramentali Confessione, prout in Cap. XVI. primæ Synodi mandauimus, profectò in contrahendis matrimonijs simili cura, & diligentia erunt immunes.

Concilij Tridentini decretis à proprio tantum Parocho coniuges in templo benedictionē sacerdotalem susciperе debent; quia uerò mulier ex Parochia in qua matrimonium contraxit, quandoque discedit, ac marito in aliena Parochia adhæret, alteriq́ue Parocho subijcitur; nè sacerdotes labantur consuetudine quadam ducti, quæ ipsos à suspensione per Concilium Tridentinum Cap. I. de reformat. matr. sess. 24. illata nequaquā excusat, declaramus similem benedictionem ad eum Parochum spectare, intra cuius Parochiæ fines coniuges tempore benedictionis susciendæ inhabitant, & habent domicilium, & à quo, uti uero, & proprio Parocho sacramenta omnia susciпienda sunt. Vnde si coram uno Parocho matrimonium fuerit contractum, atque mulier ad domum uiri in aliena Parochia fuerit traducta, tunc Parochus mulieris dictos coniuges nullatenus benedicat absque nostra uel illius Parochi speciali licentia in cuius Parochia degunt. Vt autem ab eo nuptię benedicantur coràm quo matrimonium contractum est, atque penes eundem descripta sint matrimonium, & desponsatio, Parochis iniungimus, ut quo tempore coram eis matrimonia contrahuntur efficacibus uerbis contrahentes hortentur, nè ante susceptam ipsam in templo sacerdotalem benedictionem in eadem domo cohabitent, suasionibusque inducant nè diutius susciperе differant, prout in priori Synodo ex Conc. Tridentini præscripto admonuimus. Parochos uero domicilij hortamur, ut si sublatam suam consuetudinem sequi uoluerint, facile licentiam hiusce modi priori contractus Parocho concedant, præsertim si coniuges id expostulauerint; præcauere nanque tantum intendimus, nè incautè Parochi censuram suspensionis incurrant.

De diuinis officijs recitandis, & celebrandis. Cap. III.

Ecclesiasticis hominibus diuino quodam iure iniunctum est, ut Deo laudes, & sacrificia offerant: quòd si id prętermiserint, uel negligenter perfecerint, immane, & nefarium scelus committunt,

mittunt, cum Deum debita laude, ecclesiam magna utilitate defraudent. Licèt autem sacerdotes, ac quicunque sacro ordine insigniti sunt, uel quodcumque beneficium ecclesiasticum obtinent indesinenter pro populo orare, ac quasi christianę Reipublicæ internuntij iram Dei placare assidue debeant, eis tamen catholica Ecclesia pensum quotidie persoluendum præscripsit, nempè laudes, & preces statutis horis canonicè recitandas, & canendas, quę meritò hinc fortasse horę Canonicę nuncupantur. Vnde qui tota die, ac nocte Deum deprecari, & laudare deberet, si paucis horis saltem proprium munus non expleuerit, lethali peccato se esse ob noxium, ac Deo, & Ecclesię seruum nequam fateri compellitur.

Adhortamur propterea quascunque Ecclesiasticas personas nobis subiectas, ut Deo, & Ecclesiæ reddant, quod debent; nec labiorum motu tantũ id agant, sed quod ore canunt, corde canant, opere canant, ut pietatem doctrina, doctrinã operibus exornent. Verum præter peccatum mortale, quod Deo uindice summum malorum est, beneficiati omnes, qui, legitimo impedimento cessante, officium non recitauerint, sciant se beneficiorum quę obtinent fructus nõ lucrari, sed illos tanquam iniustè perceptos pro rata omissionis officij in fabricas Ecclesiæ, uel pauperũ sustentatio nẽ esse erogãdos iuxta Bullam Pij PP. V. quam in præsenti Synodo omnibus notificamus.

In Ecclesijs collegiatis nobis subiectis diuina persoluãtur officia iuxta Sacros Canones, siue receptas, & approbatas cuiuslibet Ecclesiæ Cõstitutiones, uel cõsuetudines. hebdomadarius uerò dũ choro interfuerit semper stolam gerat, quæ occurrenti officio respondeat, nec à choro discedat, nisi officia, quę inchoauerit debite expleuerit.

Mandamus præterea ut singulis secundis ferijs festo nouem lectionum, siue aliàs legitimè non impeditis Conuentualis missa pro defunctis celebretur, & decantetur: In Sabbatho uero missa Conuentualis de Beata Maria semper celebretur, nisi festum nouem lectionum occurrerit: in ijs autem Ecclesijs, in quibus missa Conuentualis quotidie non decantatur prædictis secundis ferijs, & sabbatho, celebrentur saltem missæ priuatæ ut supra præscriptę: In alijs autem diebus missa Conuẽtualis officio iuxta calendarium per nos ęditum recitando respondeat, ac id præsertim curæ sit circa Conuentualium missarum celebrationem, ut regulę noui Missalis exactè obseruentur.

Parochos eos ualde commendamus, qui officium B. Virginis

singulis

singulis diebus in Ecclesia per clericos in minoribus ordinibus Constitutos decantari curatunt; atque piũ hoc institutum ab omnibus quarumcunque Ecclesiarũ Clericis amplecti desideramus, prout curæ, & religioni Plebanorum id committimus.

In quibuscunque Ecclesiijs, singulis diebus Dominicis aqua lustralis benedicatur, & ea sacerdos celebraturus uel diaconus in seruiens, populum aspergat iuxta Sacerdotalis Rõmani ritum; ac ante missam maiorem litaniæ, & præces per nos reformatæ, & ad nostrorum temporum calamitatem accommodatę, uel quæ in futurum à nobis præscriptæ fuerint, in choro semper, & perfectè decantentur.

In Ecclesijs uero Beatæ Mariæ Virgini dicatis in die sabbathi hora Completorij Litanias ad honorem eiusdem Deiparę institutas decantari exoptamus, cum ualde deceat, ut eius memoria frequentius, & honorificentius in proprijs Ecclesijs celebretur. Nos qui Clerum nobis superna dispositione cõmissum cultui diuino deditum cognoscimus, non ueremur quin omnes promptè, quæ committimus amplectantur, quòd si aliqui degeneres fuerint, nos non patris tantum, sed iudicis etiam personam sustinere proprio damno experientur.

De Indulgentijs. *Cap. IIII.*

THesauro inuento magnum gaudium exoritur; unde meritò commendatur, qui omnium bonorum precium libenter impẽderit, ut thesauro potiatur: sed nostrorum temporum conditio ea est, ut thesauris Ecclesiæ, quos indies Romanus Pontifex uerus custos, & dispensator fidelis Christiano populo impartitur nõnulli ditari negligant, unde pauperiores effecti plagis, & doloribus immensis subijciuntur. Nos uerò qui Sacri Concilij Tridentini decretis salutarem, ac pium indulgentiarum usum, ac fructum cognouscimus, nostrę curæ subiectos cohortamur ut spiritualium largitionum munere, peccatorum remissionem, & indulgentiam consequi perquirant.

Prospicientes autem nè aliquid turpe irrepat in re tàm graui, & salutari, decernimus, ut in quibuscumque Ecclesijs nostræ Ciuitatis, uel Diœcesis indulgentias aliquis publicare non præsumat, siue eas populo proponere audeat, nisi nostro iussu id fecerit, iuxta prędicti Concilij decreta; unde literas Apostolicas, seu diplomata, & priuilegia quęc ũque nobis, uel Vicario nostro unusquisque

quisque prius presentare debebit, ut his diligenter inspectis, & examinatis, atque in Cancellaria nostra registratis, licentiam, quę gratis detur eas publicandi, & populo proponendi recipiat.

Monemus uerò quoscũque Clericos, uel laicos, nè Plebano, siue Rectore Ecclesiæ inconsulto indulgentias publicas impetrare procurent, cum hinc dissensionum semina quandoque irrepsisse cognouerimus.

Inter missarum solennia dominicis, uel festiuis diebus proxime antecedentibus diem, in quo Ecclesia erit uisitanda, publicè populo indulgentia proponatur, ut fideles commoniti, possint præscriptas conditiones adimplere, statutaque die præmium Pontificio diplomate concessum consequi ualeant.

Nemo secularis, uel regularis sacerdos cuiuslibet facultatis, priuilegij, uel indulgentię prętextu pro pœnitentiario publicè in Ecclesijs quibuscũque etiã exemptis se exponat, nisi à nobis prius fuerit ad Confessiones audiendas iuxta formam Concilij Tridentini admissus, aliàs censuram suspensionis incurrat. Nec simili officio pœnitentiarij fungatur, nisi priuilegiorum tenore diligenter inspecto, ac in casibus, in quibus tutò pœnitentium conscientię succurrere ualeat, ac præsertim caueat, nè utatur facultatibus, quę per Concilium Tridentinum, uel Bullas Apostolicas, sint sublatæ, & abrogatę, cum sic pœnitentes, se seque supplicijs ęternis incautè dedat.

Sciant omnes decreto Pij Quinti Sanctissimi Pontificis fuisse reuocatas quascunque indulgentias aliàs quomodolibet concessas, quas qui consequi uoluissent, manus adiutrices conferre debebant.

Nè turpe lucrum, & quęstus in re tam salutari misceatur, non audeant sacerdotes Clerici, uel alij quicunque sint, eleemosynas pro indulgentijs exigere, petere, siue populum ad Ecclesiam pro indulgentia accedentem, ad eleemosynas præstandas importunis uociferationibus cohortari, cum potius coarctare uideantur; sed in medio Ecclesiæ, siue ante fores capsula, quæ occlusa sit, apponatur, in qua quisque sponte offerre possit eleemosynas, quę fabricæ, siue Sacristiæ Ecclesiarum sint, uel ad alios laudabiles, & pios usus iuxtà obseruatam consuetudinem conuertantur.

Die anteriori Campanę pulsentur, Ecclesiaque debitè ornetur, & ubi dies indulgentię aduenerit, processio publicè peragatur à quibuscunque sacerdotibus, & Clericis Ecclesiæ. Rector autem semper prę sto sit, & curet, ut accedentibus ad Ecclesiam pœnitentię, & sanctissimę Eucharistię sacramenta ministrentur, magno-

que

que lucro sibi apponat, si fideles cœlestibus thesauris debitè refici perspexerit.

De sacris Imaginibus. Cap. V.

Ecclesia catholica aliquid diuinæ seruitutis alteri quàm Deo impendi nefas maximum semper duxit, huiusque sceleris patratorem detestatur, & anathematizat; pariuero anathematis gladio feriendos esse eos censuit, qui pestiferum dogma, & ab Ecclesiæ unanimi consensu, & auctoritate abhorrens de imaginum neglectu tradiderint; cum imagines Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum in templis præsertim habendas, & retinendas esse à catholicis Patribus sit definitum, non quòd in eis aliquid diuinitatis, vel virtutis insit, sed ut omnis ueneratio, ac cultus ad prototypa earundem referatur. Proinde Parochi diligenter attendant, nè quis simplicitate ductus labatur, sed doceant mente repetenda esse quæ picta, uel sculpta oculus prospicit, cùm hinc profecto ad ueram Dei adorationem, & dilectionem quis peruenire possit.

Nè uerò ex sacris imaginibus scandali, derisus, uel erroris occasio oriatur, ex Concilij Tridētini præscripto præcipimus quibuscunque Ecclesiarum etiam exemptarum Rectoribus, ne aliquas Sanctorum imagines, siue sacrarum historiarum, & mysteriorum picturas, uel sculpturas publicè in Ecclesijs, Oratorijs, & Capellis exponant, uel exponi permittant, nisi prius per nos, uel à nobis deputandos uisę, & approbatæ sint.

Pictores uerò, ac sculptores monemus, ut imagines ecclesiasticæ consuetudini conformes, historiæ ueritati consonas, morum correctioni accommodatas, ac erga Deum pietate proficuas ponant, nihilque obscęnitatis, lasciuię, falsitatisue immisceant; profanis indumentis, & uanis ornamentis sanctorum imagines non uestiant; non effingant in Ecclesijs picturas iumentorum, aut quorumcunque animalium, nisi ex historiæ ueritate requirantur: hominum, uel mulierum uiuentium effigies, Sanctorum, uel Sanctarum imaginibus non repręsentent, nec exprimant: alioquin certò sciant similes picturas à nobis non esse approbandas.

Quia verò nonnullę imagines fortasse expositæ iam sunt, quæ ad Christianā pietatē excitandam minus aptę uidentur, eas renouari, ac ad sanctitatē, & prototypi dignitatē reduci committimus.

Illud pręterea erit aduertendum nè Sāctorum imagines in humili,

mili, seu sordido loco apponantur, uel pingantur, sed honorificè tam in ecclesijs, quàm in priuatorum domibus retineantur, nè Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, negligere potius quàm uenerari uideantur; quæ autem uetustate, carie, vel aliter consumptę, aut deformatę sunt, non in profano, & indecenti loco ponantur, sed priuatim à sacrista in ecclesia comburantur, & cineres in sacrario uel cœmeterio recondantur.

In quocunque altari plures imagines eundem Sanctum repræsentantes non apponantur, cum una tãtum sufficiat, nisi necessitas historię plures expoposcerit.

Pium imaginum sanctarum usum maxime, ac plurima miracula illustriorem reddunt, quę Dominus omni ferè tempore, & loco apud Deiparę, uel aliorum Sanctorum imagines operari dignatus est; verùm, ut fidelis populi deuotio illusionibus, falsisque miraculis non eludatur, sub interdicti pœna cautum sit, nè in quibuscũque etiam exemptis ecclesijs noua miracula admittantur, vel publicentur, siue imago aliqua populo proponatur, tanquam miracula: apud eam Deus operetur, nisi maturo adhibito consilio, iuxta Tridentini Concilij formam, nostra approbatio & mandatum accesserit. Plebani uerò vbi cognouerint, quòd in locis publicis, uel priuatis populi multitudo ad aliquam imaginem concurrat, ad nos statim deferant, ut opportunè & populi religioni, ac uero Dei cultui succurramus.

Impressoribus denique quibuscunque sub excommunicationis pœna prohibemus, vt sanctarum imaginum exemplaria, ac nouorum miraculorum historiam, quæ tam Venetijs, quàm alibi euenerint, ac quascũque nouas precationes, & orationes non imprimãt, etiamsi in alijs locis impressa sint, nisi per nos fuerint prius examinata, & scriptis approbata.

De ieiuniorum obseruatione. *Cap. VI.*

QVę cœlesti iussu præcepta sunt, & quorum obseruationem Ecclesia spiritu sancto edocta in certum, & debitum tempus præscripsit ieiunia, nõ obseruare, adeò graue est, vt tantummodo Adę ieiunii transgressoris, non Christi exemplo, & præcepto restitutris progenies illi videri possint, qui non ieiunauerint. Parochi itaque iuxta Concilij Tridentini monita, singulis diebus dominicis populo ieiunia infra sequentem hebdomadam occurrentia denuncient, ac proponant; sedu-

ſeduloque inuigilent, vt ab omnibus ſeruentur, cũ obſonijs uetitis abſque rationabili cauſa utentes, non ſolum in Dei offenſionem incidant, ſed ab Eccleſia, habita conſideratione reiterationis, ſeuerè puniri debeant: quòd ſi contemptus adfuerit, tanquàm de fide ſuſpecti reputandi, & puniendi ſint.

Verùm quia in Quadrageſimali præſertim ieiunio nonnulli pro corporis imbecillitate, aut ualetudine interdictis tunc cibis uti coguntur, monemus, vt illis nullatenus ueſcantur, niſi prius obtento teſtimonio medici proprio iuramento de corporis neceſſitate, ac vitæ periculo fidem facientis, à nobis, vel Vicario noſtro ſcriptam licentiã obtinuerint: medici verò ſub periurij pœna, & diuini iudicij obteſtatione cautè, & prudenter in ſimilibus ſe gerant; nè diuin corpori nimium indulgent, animam vulnerẽt, & aliorum peccatis coadiutores, & participes ſint; atteſtentur diſtinctè neceſſitatem infirmi, vel ualetudinarij, & qualitatem ciborum quos concedendos iudicauerint; nè ubi oua ſufficerent, carnes fortaſſe dent: quòd ſi per totã Quadrageſimam illicitis eſcis veſci non opus eſſe cognouerint, exprimant quòque tempus, nè errore quis labatur. Sciãt autem omnes, quòd licet à delectu ciborum ſint diſpenſati, ſe tamẽ adhuc ieiuniorum obſeruationi eſſe obſtrictos, atque lethali peccato eſſe obnoxios, ſi eſcis illicitis utentes non ieiunauerint.

Plebani inuigilẽt, vt ieiuniorum obſeruatio debitè ab omnibus peragatur; ac ubi cognouerint, quòd aliquis medicus proprij muneris, ac ſalutis oblitus, teſtimoniũ, quod à ueritate abſit, alicui præſtiterit, aut quis rationis potius, quàm corporis defectum ſuſtinens, licentia conceſſa quo quomodo abutatur, eos moneant, vt proprię conſcientiæ proſpiciant: quod ſi neglexerint, ad nos deferant; vt noſtras partes cum eis exequamur. Eiſdemque Plebanis facultatem largimur, vt pro eorum conſcientia, in proprijs parochijs licẽtiam concedant carnibus, ſiue ouis veſcendi quibuſcunque actu ægrotãtibus, ſenibus ſexagenarijs, puerperis, prægnantibus, nutricibus, ac urgenti, & inopinato caſu periclitantibus; reliquos verò, qui per Ciuitatem uagantur ad nos remittant.

Præterea Plebani attendant diligenter, nè quis publicè carnes, ſiue quoſcunque cibos uetitos, ieiuniorum tempore exponat; ſiue in cauponibus, & diuerſorijs quibuſcunque coquantur, aut uendãtur: præcauendum eſt enim, vt ſcandalis publicis occurratur, ac imbecillibus, & infirmis ſecretò ſuccurratur.

De festorum solennijs debitè celebrandis. Cap. VII.

FEstorum celebritas statutis ab Ecclesia diebus fieri debet, nec absque necessitate transferri potest: vnde commendandi non sunt, qui festum patroni Ecclesiæ, siue Sancti, sub cuius inuocatione Cõfraternitates erectæ sunt, ritè, ac tempore debito non celebrant, sed post diuturna interualla differentes, ostentationis potius, quàm religionis intuitu, non congruo die solenniter peragunt.

Monemus itaque omnes tam ecclesiasticas, quàm sęculares personas, quibus festa huiuscemodi celebrandi cura incumbit, ut ipso die, quo ab Ecclesia catholica instituta sunt, celebrent, ac celebrari curent, siue si legitimo impedimento transferenda sunt, non ultra octauam transferant, nisi de nostra licentia ob aliquas iustas causas concedenda: illud præ oculis habentes, ut similis translatio ad dies ex ritu Missalis Romani priuilegiatos nullatenus fiat.

In his autem solennijs Ecclesiarum parietes modestè ornentur; non vasa argentea appendantur: picturę, quæ ad pietatem non pertineant, omnino submoueantur; atque Rectores prospiciat, ut intra duos vel tres ad summum dies Ecclesiæ ornatus absoluatur; ita tamen, quòd clausa non retineatur dum diuina officia erunt celebranda; nè unius diei in Ecclesia festum, per plures dies despectum, uel non piæ, & religiosę conuersationis ansam præbeat.

Quòd nemo clericus, uel sacerdos Sæcularis, uel Regularis exorcizare audeat sine licentia. Cap. VIII.

DEo permittente nonnulli quandoque ita acriter à Dęmonibus uexantur, ut eorum uices summoperè dolendæ sint, eoque magis eis commiserandum est, si remedijs opportunis, atque ab Ecclesia catholica approbatis, eos curare neglexerimus: quòd si ad naturales infirmitates propulsandas periti medici aduocantur, ac precioſiora pharmaca adhibentur, profectò ad tàm miseram, & atrocem energumenorum ægritudinem depellendam, omni studio, ac cura elaborandum est.

Nè igitur desint Ministri, qui rugienti leoni resistant, ac Deo auxiliante, à corporibus quę obsidet, eijciat, hortamur, ac monemus

quoscun-

quoscunque Monasteriorum huiusce Ciuitatis Præfectos, ut duos saltem sacerdotes in singulis eorum Monasterijs deligant, qui moribus, ac uitę sanctitate aduersarijs formidabiles sint, atque in ritibus & exorcismis exerceantur, vt ubi necessitas postulauerit, manus audacter cum dęmonibus conferant, nos quoque sacerdotes aliquos ex clero nostro deputabimus, qui in re tam necessaria exerceantur, ut dęmoniacis mederi possint.

Nulli verò ecclesiasticę personę etiam Regulari (parochis tamen exceptis) licere decernimus, energumenos, uel energumenas exorcizare, nisi examinatus, & approbatus à nobis fuerit; & licętiā scripto obtinuerit: aliàs ipsum à suorum ordinum exequutione ex nūc suspendimus, & alijs pœnis arbitrio nostro coercebimus.

Exorcizare verò in priuatis locis prohibemus, sed mandamus, ut id munus in ecclesijs asque aliquo diuinorum impedimento fiat; non tamen ante solis ortum, uel post solis occasum; nec in ecclesijs Monialium peragatur; aliàs ex nunc exorcizandi licentiam reuocamus.

Committimusque ut exorcista non laicalis personæ, sed alterius sacerdotis, vel clerici auxilio vtatur, vbi defatigatus progredi diutius nequiuerit.

Atque nè facile defatigetur si plures obsessos simul exorcizare voluerit, mandamus, ut separatim vnumquenque exorcizet; nec alios obsessos præsentes retineat.

Sanctissimum Eucharistię sacramentum, Sanctorumque reliquias obsessis tradi, uel ad deosculandum præberi inhibemus.

Caueant præterea exorcistę, nè Dęmoniaci ab astantibus interrogentur, uel ipsi interrogent de alijs, quàm de his, quæ ad obsessi curam pertinent, cum sępius hinc scandala maxima oriantur, & peccati auctor, & mendacij pater consulentes deludat, ac in peccata labi insidiosè procuret.

Si mulieres exorcizari contigerit, id munus cum assistentia aliarum mulierum, ac etiam consanguineorum, si haberi possint, exerceatur; Exorcizans uerò ita mulierem obsessam pertangat, & in his partibus, ut necessitate officij non impudico animo id peragi omnes optimè noscant.

Remedijs superstitiosis, ignotis nominibus, ac alijs, nedum prohibitis, sed ab ecclesia non approbatis, nec piorum hominum usu receptis, abstinendum esse quisque sibi proponat; inuigiletque, nè dum corpora energumenorum à seruitute, & uexatione Diaboli liberare studet, ipsius anima seruituti tam sordidæ subijciantur.

Vnde

Vnde non quibuſque libellis tàm impreſſis, quàm manuſcripti exorciſtæ vtantur; ſed Sacerdotale Romanum, Flagellum, ac fuſtem dęmonum, atque Malleum maleficarum potiſſimum prę manibus habeant. Si quis verò alijs libris impreſſis, uel non impreſſis uti voluerit, eos proferat; & ubi per nos approbati fuerint, licentia a nobis obtenta perlegat.

Nè verò turpis lucri potius, quàm pietatis cauſa id munus peragatur, ſub excommunicationis pœna interdicimus, nè paciſci ſuper his liceat, ſiue aliquid ſub quocunque prętextu extorquere ab obſeſſis, uel eorum conſanguineis quis poſſit; quòd ſi quid modicũ ſpõtè pro eleemoſyna fuerit oblatum, id recipere nõ prohibemus.

De pijs Confraternitatibus laicorum tam erectis quàm erigendis. *Cap. VIIII.*

DIligenter indagare debet Epiſcopus, nè laicorum Conuentus, & ſocietates in eccleſijs erigantur, ubi pietatem & religionem non redoleant: cum tanquam Collegia illicita, & conuenticula mala, iura expreſsè deteſtẽtur.

Vnde ut piæ Cõfratẽrnitates in eccleſijs noſtris erectæ, licitę ac pietatis, & religionis amplificandę, & obſeruandæ alumnę omnibus appareãt, inuigilet Parochus, ac ſedulò confraternitatum Priores, & officiales cohortetur, vt quæ ad ſubleuandos pauperes, ad puellas dotandas, vel ad diuinorum officiorum, & miſſarum celebrationem, & pręſertim ad frequentem ſacramentorum uſum ſtatuta ſunt, nunquã prætermittant; cùm in his deficere tam turpe, & deteſtandum ſit, vt ſimilium ſocietatum deſtructores omnibus meritò uideri poſſint.

Ipſis autem eccleſiarum Rectoribus, & Capitulis pręcipimus, vt præſto ſint in Confratrijs prędictis quoquomodo tuendis, nec pietate, ac religione ab eis ſe uinci patiãtur: nè qui ad omne opus piũ, & Deo gratum alios exemplo inſtruere, ac verbo commouere tanquam anteſignani debent, deſertores potius proprijque officij immemores cum dedecore videantur.

Altaria, in quibus ſodalitates laicorum inſtitutæ ſunt, ad pręſcriptam formam ab eis reducantur, & debitè ornẽtur; præſertim ſex mappas mundas, & ſufficientes, ac duo decentia pallia, quibus à ſacriſta debitis temporibus cooperiantur, confratres ipſi prouideãt: ante Altare lampas decens pendeat, quę ſingulis feſtiuis, & dominicis diebus, dum diuina peraguntur, ardeat ipſius ſodalitatis ſumptu;

ptu, faculæ quoque ac intorstitia cerea in promptu sint, & accendãtur, dum missa in Altari pro Confratribus erit decantanda.

Quod uerò in aliquibus Ecclesijs obseruatur, ut singulæ Confraternitates in eorum altaribus plures faculas continuè retineant accensas solennioribus diebus, dum diuina celebrantur, id tanquã religionis confratrum signum; quod ad uisitanda singula altaria, pias, ac deuotas personas alliciat, approbamus; ac in alijs etiam Ecclesijs recipi exoptamus.

Nulla Confraternitas absque nostra licentia in Ecclesijs capsulas pro eleemosynis recipiendis apponere, vel eleemosynas inter solennia, siue celebrationem Missarum quærere possit; Confraternitate Sãctissimi Corporis Christi, ac alia de pauperum Parochiæ subsidio exceptis: Nec minus Priores harum sodalitatum in Ecclesiarum negocijs, siue gubernio quoquomodo se ingerant, siue Parochis impedimento unquam sint: Bona uero Ecclesię usurpare, siue in loco, quod sibi usu concessum est, dominium prætendere, nunquàm audeant.

Si Sanctorum Reliquias Confraternitates habuerint, illas in publica Ecclesia retineant, ac in loco tuto, & honorifico collocent, qui duabus clauibus occludatur, quarum vnam Plebanus, alteram uero Prior Confraternitatis penès se habeat, & cum populo exponendę fuerint, forma per nos aliàs præscripta seruetur.

Sub excommunicationis censura, eo ipso incurrenda, caueant Confratres, nè uasa sacra, uel uestes ad altaris, & sacrificij usum, quę penès se asseruant, ad sacrilegos, siue profanos usus conuertant, uel illis abutantur.

Si quæ Confraternitates Oratoria habent, in eis nullatenus sacrum celebretur, nisi nostra in scriptis licentia præcesserit; ac tunc Paschalibus, & solennioribus diebus exceptis, in quibus omnes ad Ecclesiam conuenire debent. In ipsis uerò Oratorijs se congregare, ac iuxta cuiuslibet scholę approbatas Constitutiones preces, uel psalmos recitare, ac in alijs meritorijs operibus se exercere possint; Sed in his Congregationibus nemo ex Confratribus laicis de rebus ad Christianam fidem, & catholicam religionem pertinẽtibus concionari, siue sermonem habere presumat, sed ecclesiasticorum qui à nobis approbati sunt, opera utantur.

Vt sodalitates quas in futurum erigi, uel institui contigerit, rectè, ac piè regantur, statuimus & decernimus, ut nullus Rectorum ecclesiarum nobis quomodolibet subiectarum, audeat nouas deinceps Confraternitates in propria Ecclesia erigere, siue alibi erectas

ctas recipere, uel permittere, ut ab alijs id fiat, nisi re cognita à nobis licentiam scripto impetrauerit, & Constitutiones à nobis approbatas, Confratres susceperint, aliàs nullum, & irritum declaramus quicquid à quoquam secus fuerit attentatum; ac sodalitates absque nostro iussu erectas, & receptas, illicitas denunciamus. Rectorem uerò contumacem cētum aureorum pœna mulctabimus.

Nè uerò in Ecclesijs Cōfratres prædicti cum proprię salutis detrimento tractent negocia, quę pietatem, & religionem non redoleant, statuimus iuxta Concilij Lugdunentis ac Tridentini decreta, ac Pij V. Constitutionem, quòd in futurum Confratres cuiuscūque scholę, & Confraternitatis in Ecclesia non conueniant, & congregentur, nisi ad persoluendum diuina officia, iuxta earum approbatas Constitutiones; quòd si officiales eligere uel alia pertractare uoluerint, conuenire poterunt in oratorijs, quę propè Ecclesiam sunt, siue etiā absque diuinorum impedimento in sacristia, ubi satis ampla fuerit, & consensus Capituli accesserit: in Ecclesijs uerò nullatenus conuenire debent, cum sępius in similibus Congregationibus uociferationes, scurrilia, & scandalosa uerba proferantur, tumultus quoque, ac rixę oriantur; quę omnia, cùm à pietate abhorreant, procul à templis abesse debent. Plebani itaque ac Rectores Ecclesiarum, & sacristę sub pœna suspensionis prohibeant, nè similes Conuentus in Ecclesijs fiant, præcipimusque omnibus, & quibuscunque Gastaldionibus, & Prioribus Scholarum, & Confraternitatum, quatenus eorum Confratres non in Ecclesia conuocent, sed alibi extra eam, Capitula celebrare debeant; nam si audacia, & temeritate prędictis contraire attentauerint, & contra hanc nostram Constitutionem in Ecclesia conuenerint, eisdem ex nunc ingressum Ecclesiæ interdicimus, donec condignam pœnitentiam peregerint, & à nobis fuerint absoluti: Scholam uerò quę in honorem Sanctissimi Corporis Christi in qualibet Parochiali Ecclesia est instituta, specialiter eximimus; eidemque indulgemus, ut eius Confratres in Ecclesia, cum occasio se obtulerit, conuenire possint cum presentia tamen, & assistentia Reuerendi Plebani, siue alterius sacerdotis ab eo deputandi, qui præhabita Oratione curet, ut quiete omnia pertractentur, nè scandala eueniant; ac finita Congregatione Confratres ad perorandum, & ad gratiarum actionem inducat.

De

De reparatione domorum Ecclesiarum per beneficiatos facienda. Cap. X.

EXperientia docente didicimus quosdã Plebanos, ac titulatos beneficiatos rebus Ecclesię ità quandoque usos esse, ac si in eorũ obitu corruere deberent; unde diligentes, ac importuni fructuũexactores, non fideles bonorum Ecclesticorum administratores uidentur.

Propterea nè successores prædecessorum iniuria damnum sentiant, ecclesia uerò Rectorum auaritia iacturam recipiat, decernimus, ut singuli beneficiati teneantur quotannis domos, quas nomine Ecclesiæ possident, propriis pecunijs per peritos murarios reparare, atque prouidere, nè antiquitate temporis aliqua pars domus corruat, uel pluuijs marcescat, ac inhabitabilis reddatur; quòd si quis ex eis negligens fuerit, nos ad pensionum, quas ex domibus prædictis exigit sequestrationem tàm ex officio, quàm ex inquilinorum domos prędictas inhabitantium, siue procuratorum Ecclesię instantia procedemus; sequestratisque pecunijs necessarias reparationes fieri curabimus: mandamusque tàm Reuerendis Visitatoribus per nos deputatis, uel deputandis, quàm procuratoribus Ecclesiarum, ut perscrutari non negligant, si in necessaria domorum reparatione quis beneficiatus defecerit; quòd si ab eis monitus adhuc pertinax extiterit, ad nos deferant, ut opportunè nostro officio Ecclesiarum commodis succurramus.

Domus uerò, quæ Plebanis, uel titulatis pro residentia assignatę sunt, si eas inhabitauerint, fabricę eiusdem ecclesię expensis reparentur, ac reficiantur, dummodo consensus Capituli secretis uotis, ac scripto exaratus accesserit, & non ad ornatum, uel uoluptuarias commoditates fabricę, pecunię expendantur: quod si in ędificijs non necessarijs, siue in reparatione domorum, quę locantur, fabricę pecunię erogatę fuerint, uel dolo, aut fraude indebitè extortæ sint, ad earum restitutionem in utroque foro quoscunque transgressores teneri decernimus.

Quę uerò de domibus beneficiatorum reparandis supra diximus, ad domos, uel bona mensę Capitularis cuiuscunque Ecclesię prorogamus, ad idque procuratorem Capituli teneri uolumus; atque ipsiusmet Capituli pecunijs, nisi secus per legitimas, & approbatas alicuius Ecclesię Constitutionis cautum fuerit, quascunque necessarias reparationes perfici mandamus.

Caueant præterea omnes, nè domos Ecclesiarũ personis turpibus locare præsumant, sub pœnis per Constitutiones prædecessorum nostrorum, quas innouamus, inflictis, siue in eisdem eos artifices inhabitare permittant, qui arte, quam exercent domibus periculo magno, uel apparenti detrimento sint. meminerintque semper teneri Ecclesiæ conditionem meliorem reddere, nec quoquomodo deteriorare posse.

De honorum Ecclesiasticorum Conseruatione, eorumque locatione, & distractione. Cap. XI.

PIaculum sanè inexpiabile semper censuimus, ubi bona ad Dei cultum, & Ecclesiasticorum ministrorum sustentationem dicata, in profanos vsus conuertuntur; quòd si priuatorum res surripere nemini permittitur, Ecclesiarum bona occupare usurpare, siue dilapidare, quam nefarium, & sacrilegum sit, quisque prudens facilè intelliget; aç qui Ecclesiæ præiudicare præsumpserit, infelici quandoq; experientia exitialis auaritiæ pœnas luet.

Vnde iureiurando per nos præstito commoti, animarumque nobis subiectarum saluti consulentes, monitione hac Synodali requirimus, & hortamur quoscunque Clericos, siue laicos, ut quæ sunt Dei, Deo relinquant, Deoque reddant, si retinent: sciantque Tridentini Concilij decreto, donec, & quousque bona Ecclesijs non restituerint, maiori excommunicatione esse innodatos.

Nè uerò Rectorum ignorantia, uel negligentia, siue temporis iniuria Ecclesijs noceat, atque aliquis tam nefaria committendi, terminosque à Deo designatos transgrediendi ansam nancisca-tur, sancimus, ut quisque Plebanus, & beneficiatus atque Capitula quarumcunque Ecclesiarum omnia bona tàm urbana, quàm rustica census, liuellos, & iura quæcunque ad eorundem Ecclesiã spectantia, & quæ nunc possident, & exigunt fideliter, & diligenter describant, atque inuentarium à publico notario conscriptum & à procuratoribus Ecclesiæ subscripũ infra tres menses cõficiant, in libris Ecclesiæ registrãdum ipsius que exemplar in Cancellaria Patriarcali perpetuò asseruandum, præsentare teneantur. Ea autem cum Christi patrimonium sint, alienari, siue quoquomodo distrahi nequeunt, nisi ipsius in terris Vicarij assensu, atque ob eã Ecclesiæ utilitatem, quæ omnibus euidens appareat. Quare quę à Sacrorum Canonum dispositione sancita sunt, intimamus, Pauli-

que

que Papæ ij. Cõstitutionẽ in præsenti Synodo publicamus, nè quis attentare cũ propriæ salutis damno audeat, quod uiribus carere, & nullũ operari effectũ Apostolicis decretis apertissimè declaratur.

Nemo itaque beneficiatus bonorum Ecclesiasticorum Dominium, siue proprietatem sub quouis titulo in alium transferre præsumat, nec ea ab alijs possideri, siue detineri permittat, nisi locationis titulo; quæ triennium non excedat, quæque scriptura priuata, uel publico documento probari possit; quòd si finita locatione conductor adhuc perseuerare uoluerit, id expressè per aliam locationem in scriptis fiat, aliàs Rector pensione unius anni priuetur, & Ecclesiæ fabricę, siue sacristiæ applicetur.

Vt autem de domino Ecclesiæ nunquàm ambigi contingat, mandamus ut quisque Rector infra annum susceptæ possessionis, bona ipsius Ecclesiæ, si legitimè impeditus non fuerit, locare expresse debeat sub pœna superius apposita.

Domus, prædia, ac bona quæcunque ad Capitulum, siue fabricam pertinentia, non locentur Plebano, sine presbyteris, ac Clericis eiusdem Ecclesiæ, siue eorum Consanguineis, qui alijs sublocare uelint; quòd si in domibus eisdem ipsimet fortasse inhabitare statuerint, pensio minor ab eis non persoluatur, cum, qui melio rem Ecclesiæ conditionem procurare iureiurando se obstrinxerunt, talia perpetrare ferendi non sint; quòd si animę detrimentum pati auaritia eos adduxerit, nos ex nunc quinquaginta aureorum mulcta seminario nostro Patriarchali soluenda, & nullitatis quarumcunque locationum, & contractuum eorum temerarijs ausibus occurrimus; ac ubi casus exegerit, ad debitam executionẽ procedemus; ut in quo peccauerunt, puniantur: sicque ad rectam normam reducantur.

Nè fraudis unquam suspicio proueniat, ac discordiarum, & dissensionum semina inter Capitulares nutriantur, domus & prædia non locentur à procuratore Capituli, uel fabricę, nisi prius Capitulariter fuerit actum, & maioris partis consensus accesserit; aliàs si Conductor non soluta pensione aufugerit, aut maior pensio haberi potuisset, procurator proprio ære Ecclesię satisfaciat.

Quòd uerò in aliquibus Ecclesijs obseruatur, ut locationes bonorum mensę capitularis per secretas apochas meliorem conditionem offerenti fiant, id nos non tantum approbamus, sed in omnibus Ecclesijs recipi uolumus, ut facta per x v. dies monitione, capitulariter prefinita die deliberatio fiat, & locatio meliorem conditionem offerenti concedatur.

Locationes præterea nemini cõcedantur sub conditione melio randi rem locatam, quæ conductori obligata, uel pignorata rema neat, cum temporis progressu, ac Rectorum negligẽcia rebus suis Ecclesia perpetuò ferè carere cogatur: necessarias autẽ, siue vtiles impensas à conductore fieri ita paciſci possit, ut proportione pecu nię, quę quotannis pensionis nomine solui debet, aliquid compẽ setur, dummodo finita locatione triennali conductor contra rem Ecclesię locatam actionem intentare non possit, sed contra Recto rem ipsum: at si magna reparatione bona indigeant, aut sumptus erogandi portionem trium annorũ excedant, absq; nostro cõsen su, & decreto contrahi nemini liceat, irritumq; & inane quicquid aliter factum fuerit ex nũc declaramus, ac ecclesiasticas personas ad debitam satisfactionem inquilinis teneri, & pœnis arbitrio no stro imponendis puniri decernimus.

Obiurgandi grauiter sunt qui bona Ecclesię etiam auctoritate Apostolica obligata, à summa debita non eximunt, ut superluerã do fidelis serui titulo cohonestari, ac supra multa constitui pos sint. Pro nostra itaq; pastorali solicitudine mãdamus, ut infra tres menses Rectores Ecclesiarum nobis præsentare debeant instrumẽ ta quarumcunque obligationum, ut maturo consilio deliberare possimus, qua potissimum ratione pecuniarum summa debita per solui, & Ecclesia in pristinam libertatem restitui possit.

Sacri Tridentini Concilij decreto Sess. 25. Cap. 11. salubriter statutum est, nè locationes bonorũ Ecclesiasticorũ anticipatis solu tionibus fiant: quare quisque sibi prospiciat, ne prolabatur in re adeo Ecclesiæ pernicioſa: Conductores uerò monentur, ut pensio nem bonorum Ecclesiasticorum anticipatè ultra sex menses per soluere non præsumant, aliàs successori, qui ad beneficium, uel Ec clesiam regendam præponetur, quique altari inseruiendo ex bo nis Ecclesię ali debet, nullatenus præiudicare, quin pensionem ab ipsis exigat, certò sciant; quinimo eos ita obligari successori decer nimus, ut, nisi præuia satisfactione, à quoquam absolui nõ possint.

Intra Ecclesiam uerò nemini locus pro sepultura, altari, uel Ca pella construendis concedatur, nisi re diligenter in Capitulo Ec clesiæ cognita, & nostris desuper consensu, & decreto præceden tibus, ac seruatis ijs conditionibus, quas nos uti Ecclesię utiles, & iuri consonas præscripserimus; aliàs instrumenta quæcunque nostro decreto non approbata, nulla, & irrita esse omnibus noti ficamus.

Maximo Ecclesiarum detrimento experimur, quòd bona Ec clesiastica

clesiastica siue legatis pijs mansionarijsue suppositа distracta quandoque sunt pro solutione decimarū, siue quarumcunq; impositionum,ubi per plures annos tributa, & quocunque nomine uocentur,debita persoluta non sint; unde mādamus,& monemus quascunq; ecclesiasticas personas, ne ultra annū solutionem differant,sed oneribus quibuscunque super bonis Ecclesiasticis, quæ beneficiati habent,uel bonis,quæ pro missarū celebratione uti mā sionarij possident,siue uti executores piorum legatorum administrant,impositis,annuatim satisfaciant; quòd si aliquis propriam utilitatem auarè prosequatus ecclesiastica bòna,ac pijs ulibus supposita,periclitari summo dispendio permiserit, debita onera nō persoluendo, nos eum ad id exequutiuè cōpellemus,ac medietate fructuum quomodolibet ex bonis prædictis prouenientium priuabimus;quorum una pars Ecclesiæ, altera uerò denuncianti erit absque diminutione eroganda.

Quæcunq; sancita sunt,in omnibus ecclesiasticis bonis quarūcunq; Ecclesiarum,Capitulorum,& Collegiorum nobis quomodolibet subiectorum,seruanda erunt:quòd si in aliquo Rectores, & superiores quicunque uel eorum procuratores defecerint, seuerè contra eos agemus.

BIBLIOTECA N.E. ROMA VITTORIO EMANUELE

De procuratoribus,siue defensoribus Ecclesiarum. Cap. XII.

APprobatus,diuq; obseruatus mos fuit, ut Ecclesię huius Ciuitatis nōnullos uiros pietate,& religione cōspicuos sibi præponāt in defensores,& procuratores qui & Ecclesijs ipsis magnæ utilitati,& Clericis præsidio extiterūt:Patronus namq;Ecclesiæ iure obstringitur,ut eiusdem iura,& bona defendere habeat:unde nec immeritò,cum omnes ferè huius Ciuitatis Ecclesiæ patronatæ sint,patronorum uerò qui Rectorem eligunt, non modicus numerus; ut pauci diligenter exequantur,quod plures fortasse prætermitterent, procuratores,& defensores ab Ecclesiarum Capitulis eliguntur.

Verùm cum aliquando sit intermissa similis electio, nec certa forma hactenus sit tradita,præsēti decreto decernimus, ut in qualibet Ecclesia tres procuratores,& defensores a Capitulo legitimè cōgregato,,put hactenus seruatū fuit,eligātur, quorū munus perpetuū sit,nec reuocari possit nisi nō mandato,& Capituli suffragijs.Hi aūt ubi de bonis Ecclesię cōseruādis,defendendis,& recuperādis quæstio mota fuerit, totis uiribus pro eorum pietate iura Ecclesię tueri, eidemq; tàm iudicialiter, quam extraiudicialiter

una

unà cum Plebano, siue procuratore Capituli suffragari, & fauere debent.

Quòd si bonorum Ecclesiasticorum alienatio, siue permutatio, vel obligatio aliqua ad longum tempus esset facienda, eorundem procuratorum munus erit inuigilare, an verè euidens Ecclesiæ vtilitas inde proueniat, nosque eorundem consensum in similibus requiri decernimus.

Moneant Plebanum, ac beneficiatos, ut Ecclesię structuram domosque ad ipsam pertinentes, si reparatione indigeant, reparent; ac ubi desides inuenerint, nos de eorum incuria commonefaciat, & auctoritate nostra utantur.

Quia uerò Ecclesiarum cultum, & ornatum, ac alia necessaria absque Parochianorum caritatiuo subsidio clerici uix aliquando procurare possunt, defensores prædicti per Parochianorum symbola, ac proprijs eleemosynis ea procurare non desint, ubi necessitas id expoposcerit, atque quascunque eleemosynas, quas collegerint cum interuentu, & consensu unius sacerdotis à Capitulo eligendi administrent, ac in Ecclesiæ ornatum, & utilitatem exponant.

Volumus præterea, ut quoties inuentarium bonorum Ecclesiæ propter Plebani obitum sit faciendum, uel ubi Plebano electo bona erunt consignanda per nostrum Cancellarium, unus saltem ex procuratoribus semper adsit, ac inuentarium subscribat, atque ubi rationes administrationis fabricæ reddendę sunt, præstò sit; reuideat, ac propria subscriptione confirmet.

Bona uero Ecclesiastica administrare siue quoslibet fructus Ecclesię, uel fabricę procuratores prędicti exigere nequeant, nisi speciali procuratorio fuerit eisdem demandatum.

Licèt autem à Christo Ecclesiæ fundatore largissimè sint in cœlis mercèdem recepturi, nos nihilominus eos illis priuilegijs, honoribus ac prærogatiuis cohonestari decernimus, quibus hactenus usi sunt, mandamusque ut Plebanus, & omnes Clerici uiros hos pios, ut eorum protectores, uenerentur; illisque dum uixerint, cereum in die purificationis B. Mariæ offerre: ubi uerò decesserint, pulsatis pro more campanis, ad animæ suffragium Missam Conuentualem pro defunctis celebrare debeant.

De

De nouem Congregationibus sacerdotum, & Clericorum huius Ciuitatis. Cap. XIII.

IAm est Ecclesiastici hominis conditio, ut nisi alios pietate, & Christianis moribus præcellat, paruipendendus potius, quàm honorandus sit, quòd si defecerit in ijs, quæ arctiori Constitutione, uel proposito eleemosynę præmio exequi tenetur, maiori etiam obiurgatione, & despectione dignus erit. Cum igitur antiquitus in Ecclesia Venetiarum nouem Congregationes sacerdotum, & clericorum sint institutæ, ut certis Constitutionibus, siue Capitulis regantur, atque in pijs operibus, præsertim uerò salubri pro defunctis officio, & sacrificio exerceantur, ac fideles plura legata his Congregationibus reliquerint; Nos recto Congregationum regimini, Ecclesiarum debito cultui, ac totius Cleri curę, reformationique proposito, nec non piarum uoluntatum exequutores, in præsenti Diœcesana Synodo decreta nonnulla, quę nobis opportuna, ac salutaria uisa sunt, proponimus, ac publicamus.

Debitis itaque Ecclesiarum seruitijs prouidere uolentes, statuimus ut quandocunque ad exequias celebrandas, siue sacrificia pro defunctis persoluenda confratres alicuius Congregationis conuenire uoluerint, à propria Ecclesia in qua beneficiati existunt, uel cui inseruiunt non discedant, nisi persolutis prius in ea debitis officijs.

Verùm ne funeralia Congregationis officia tàm tempestiuè peragantur, ut Confratres, uel eis non interesse, uel propriam Ecclesiam deserere cogantur, præcipimus, nè aliqua Congregatio funeralia prædicta, siue missarum sacrificia celebrare aut inchoare debeat, nisi post horam tertiarum, & dimidiam partem alterius horę à mense Octobris, usque ad mensem Martij inclusiuè; à Calendis uero Aprilis usque ad mensem septembris inclusiuè non ante horam integram postquam campana tertiarum insonauerit; quòd si aliquis sacerdos ante statutam horam, missam, uel funeralia inchoauerit, à celebratione missarum eundem ex nunc suspendimus, ac alijs pœnis Archipresbyterum, siue Massarium Congregationis astantes mulctabimus. Vnde mandamus Nuntijs quarumcunque Congregationum, ut cum pro mortuorijs celebrandis Confratres ad aliquam Ecclesiam conuenire debent, deferant uasculum arenarium unius horę, & ubi ad tempus per nos

statu-

statutum deuentum fuerit, Nũcij id R. Archipresbytero, siue Massario denuncient, ut eius mandato officia inchoari possint.

Curent præterea tam sacerdos celebraturus, quam Diaconus, & Subdiaconus qui altari inseruire, et celebraturo assistere debẽt, ut non in publica Ecclesia, sed in sacristia sacras uestes induant, & post celebrationem deponant, atque è sacristia modestè, & compositè egrediantur; & ad eam persolutis officijs reuertantur.

Si in una die plures missæ ab eadem Congregatione decantandę fuerint, ad nos Aachipresbyter deferat, ut opportuno dispensationis, & translationis remedio prouideamus: non enim permittendum est, ut plures missæ in diuersis Ecclasijs eadem die ab eisdem Confratribus celebrentur, cum hinc cursim, inordinatè, & irreuerenter, non attentè, ritè, ac deuotè diuina officia, & sacrificia persoluantur. Vnica itaque missa ab eadem Congregatione decantetur in die, siue ad summum duæ; si in eadem Ecclesia, siue in duabus contiguis celebrandę erunt: alias uerò legitima, ac speciali dispensatione ad certum diem transferri curabimus: cum sic & animarum eorum, qui legata reliquerunt, suffragio, ac conscientijs sacerdotum, & ministrorum Congregationis debitè satisfiat.

Vbi uerò in aliqua Collegiata Ecclesia, in qua singulis diebus Conuentualis missa decantatur, mortuoria officia a Congregatione erunt celebranda, tunc eiusdem Ecclesię Capitulum, ac alij ministri inseruientes, missam, quę officio occurrenti respondeat decantare non prętermittant; sed ante prędictam Congregationi horam, proprio muneri satisfaciant.

Temporũm nostrorum fert conditio, ut eleemosyna a testatoribus pro missis celebrandis legata, aliàs sufficiens, nunc adeò tenuis existat, ut piæ testatorum uoluntates depereant; cum ministri nullatenus eis satisfacere possint: monemus itaque Congregationum Archipresbyteros, & officiales, ut infra duos menses nobis exhibeant exemplum quarumcunque obligationum tam pro missis solennioribus decantandis, quam pro missis priuatis celebrandis, una cum eleemosyna, quam nunc exigunt; ut maturo consilio auctoritate nobis à Concilio Tridentino attributa, solenniores in priuatas commutare, uel priuatarum missarum numerum moderari, uel aliter prou expedire iudicauerimus, decernere ualeamus: quòd si per nos re cognita testantium uoluntas commutata, uel quoquomodo dispensata non fuerit, Congregationes dispositioni testatorum exactè satisfacere debebunt, ac ad id eos debi-

tis

tis remedijs cogemus, si fraus uel negligentia Archipresbyterorum adfuerit.

In sacristijs Ecclesiarum in quibus congregationes sunt erectæ, siue in Oratorijs, & locis, in quibus Capitula confratrum pro congregationis negocijs conuocantur, publicè apponatur Tabella, in qua scribantur distinctè anniuersaria, & officia pro mortuorijs peragenda, quoque die in singulos annos, & qua in Ecclesia facienda sint, expresè notetur.

Missæ quoq; priuatæ à congregationibus celebrandæ in Tabella illius Ecclesiç, in qua celebrari debent, annotentur: & is ordo seruetur, quem in priori nostra Diœcesana Synodo præscripsimus in Constitutione de mansionariarũ officijs præstandis; quæ etiam sedis Apostolicę auctoritate approbata, & roborata est; ita tamen ut congregatio teneatur ad pœnam statutam, reseruato eidem iure procedendi contra eos sacerdotes, qui oneri missarum iniuncto non satisfecerint.

Quòd si in diebus statutis ob sancti alicuius celebritatem anniuersaria agi non possint, in diem proximè sequentem non legitimè impeditam transferantur, uel die anteriori fiant, prout Archipresbyteris uidebitur, quorum cõscientias oneramus, & quos Deo rationem strictè reddituros esse, si in his, uel alijs negligentes extiterint, paternè admonemus.

Nè discordiarum, ac dissensionum occasio inter congregationis confratres facile oriatur; ac ambitus turpis in muneribus Ecclesiasticis obtinendis omnino secludatur à pijs, & religiosis hominibus, sancimus, quòd si aliquis ad integrã congregationis portionẽ admissus decesserit, siue aliàs cõgregatione priuatus; necnõ si quoquomodo defuerint aliqui ad medietatẽ integrę portionis siue ad orationẽ admissi, & cõgregationi cooptati, Archipresbyter quã primũ Capitulares cõuocare dẽat pro electione faciẽda: ꝙ si morã interposuerit, & saltẽ in capitulo gñali quotãnis celebrãdo iuxta cuiusq; cõgregationis approbatas Cõstitutiones, alii in locũ defunctorũ, uel priuatorũ nõ fuerint electi, & integer numerus quorumcunq; confratrũ per Cõstitutiones cõgregationis præfinitus nõ fuerit refarcitus, ex nũc tàm Archipresbyterũ, quã cõgregationẽ ipsã ad pœnã xxv. ducatorũ Seminario Patriarchali soluẽdorũ teneri decernimus; ac nisi infra octo dies solutio facta sit, eidẽ cõgregationi, nè ad funeralia capitulariter cũ Cruce per ciuitatẽ ire possit, inhibemus, sub pœna interdicti ab ingressu ecclesiç; cui interdicto Archipresbyterũ, & officiales cõgregationis, quæ non

satisfecerit, & obtemperauerit, ex nunc supponimus.

In Capitulo uerò generali integer numerus Confratrum non solum resarciatur, sed quorumcunque Confratrum numerus non diminuatur absque nostra licentia, quinimò ad formam matriculatum per prædecessores nostros approbatarum, si absque legitima facultate diminutus fuerit, augeatur, & reducatur.

Ecclesiasticorum Congregationi is præponendus est, qui omnes alios antecellat; unde grauiter delinquunt sacerdotes illi, qui propria lucra, & affectiones sectantes, in Archipresbyterum Congregationis eligere procurant, quem aliis longe inferiorem, atq; Congregationi minus utilem norint. Cum autem consuetudine (quæ damnata Corruptela dici meritò debet) introductum sit, ut Archipresbyter Congregationis electus inter Confratres non modicam pecuniarum summam distribuat; & hinc persæpe eueniat ut qui non dignior, sed ditior sit in Archipresbyterum eligatur, cum is maiorem pecuniarum quantitatem Confratribus impartiri possit. Quapropter, & aliquorum auaritiam cohibere, & Congregationum utilitati, & regimini prouidere prospicientes, statuimus Archipresbyterum in futurum eligendum inter Confratres eiusdem Congregationis nullam pecuniarum summam diuidere uel eis quomodolibet donare posse, non obstante quacunque consuetudine, quam uti prauam, & scandalosam abolemus, & submouemus. quòd si quis contrauenire attentauerit, Archipresbyterum ex nũc ab officio per annum suspendimus, atque contra ipsum, & recipientes ad pœnas simoniacę labi, ac sordidę auaritiæ debitas summariè procedemus, ac in utroque foro ad restitutionem receptorum locis pijs faciendam, teneri ex nunc declaramus. Permittimus tamen, quòd Archipresbyteri Congregationi ipsi quandocunque pecuniam, quæ ad communem utilitatem pro annuis redditibus exponatur, siue cruces, calices, & uestes sacras, uel alia ad sacrum usum necessaria donare, uel quoquomodo concedere possint, dummodo in particulares nulla utilitas deueniat.

Archipresbyteri Congregationum procurent, ut Confratres, qui legitimo impedimento non detinentur, ad mortuoria celebrãda conueniant; ac qui adfuerint, usque ad integram eorundem persolutionem assiduè perseuerent; quòd si aliquos negligentes repererint, aut ante officij integram recitationem discessisse cognouerint, eos corrigant, eleemosynis debitis priuent, ac nostram etiam auctoritatem requirant, qua peruicaces reprimere ualeamus.

Pra-

Præfecti, quos in prima synodo deputari per singulos R. Archi presbyteros mandauimus, nè desides sint in eorum officio, sed in quibuscunque funeralibus assistant, & prouideant, ut modeste, ac religiosè omnia peragantur; inuigilentque præterea nè eleemosynæ diuidantur in Ecclesia, uel dum publicè Confratres capitulariter incedunt; sed similis distributio fiat in sacristia, uel aliquo loco priuato; prout ab æde sacra omnino eijci debent quæcunque aliæ actiones Congregationis, quæ religionem, & pietatem non præseferant, sublata qualibet praua consuetudine diuidendi pecunias, uel frumentum, siue subhastandi quęcunque bona ad Congregationem spectantia.

Præter Plebanos, & nostræ cathedralis ecclesię Canonicos, qui iuxta antiquas consuetudines, & Constitutiones editas in sedendo & proponendo alios Confratres, in Congregatione præcedere possunt, nemo alius in futurum ad Congregationem assumendus quocunque dignitatis gradu, & honoris prętextu attentare possit uel agere, ut alios Consacerdotes prędecedat; cum loco eidem tempore admissionis ad Congregationem competenti; & assignato contentus esse debeat, nec alios consacerdotes turbare possit. Si quis uerò quietem in dissensiones uertere his prætensionibus iudicialiter, uel extraiudicialiter attentauerit, sit ipso facto Congregatione priuatus, ac cuiuscunque ad Congregationem cooptatio hac conditione fiat, & facta de communi consensu omnino intelligatur, nec in futurum post similem admissionem aliquis super his audiatur.

Hortamur denique quoscunque R. Archipresbyteros, & sacerdotes Congregationum, ut pietatem profitentes, pacem quoque colant, atque unanimi consensu pertractent, quæ Congregationi utilia cognouerint, nec non quæcunq; per Reuerēdissimos prædecessores nostros non minus piè, quàm prudenter præscripta sunt, diligenter obseruent. eos denique sibi præpositos assumant, & officiales eligant, qui religione, rerum prudentia, ac alijs qualitatibus ita polleant, ut debito munere ad Dei laudem, & piarum animarum suffragium ritè fungantur.

De Collegio Cleri nouem Congregationum. Cap. XIIII.

MVneri nostro maxime conuenit, ut non tantum spiritualia in hac Ciuitate Venetiarum ritè, & catholicè peragantur, sed temporalia etiam quæcunque ad personas Ecclesiasticas nobis subiectas pertinentia, canonicè pertractentur; cumque ad cleri nostri utilita-

tem animum paterna charitate applicauerimus, & maturè plura nobis à fide dignis propoſita conſideraueriimus opportunè rerum Eccleſiaſticarum adminiſtrationi, ac piarum uoluntatum debitę exequutioni conſultum eſſe cenſuimus, ſi negocia Cleri, nobis inconſultis, uel ſine Vicarij noſtri generalis interuentu, in futurum in Collegio (quod uocant) Congregationũ, pertractata nõ fuerint.

Statuimus itaque ut Collegium prędictũ (quandocunq; indici poſſit) nunquam tamen congregetur, niſi per unum ex cleri preſidentibus anteriori ſemper die nobis, uel ſaltem Vicario noſtro generali fuerit notificatũ, cum preſcriptione horę, ut nos perſonaliter intereſſe poſſimus: uel Vicariũ, qui omnibus in Collegio proponendis, & pertractãdis interſit, & preſit, tranſmittamus; Quòd ſi omiſſa debita intimatione, vel antequam nos, uel Vicarius noſter aduenerit, collegium fuerit congregatũ; & in eo aliquod negociũ propoſitũ, & tractatũ ſit, id totũ irritũ, & inane, nulliusq; roboris, & ualoris declaramus. Preſidens uerò, uel quicunq; alius id attentauerit, ſit ipſo facto per annũ priuatus uoce actiua, & paſſiua: alij quoq; in Collegio prędicto ſic nulliter congregato intereſſentes de cẽ ducatorũ Seminario Patriarchali ſoluendorũ pœna mulctẽtur.

Quia uerò in Collegio prędicto aliqua ad noſtrũ & ſucceſſorũ noſtrorum commodum ſpectantia, erunt fortaſſe proponenda, & pertractanda; nosq; Cleri negocijs pro ipſius utilitate, ac recto regimine præeſſe tantũ intendimus; propterea uolumus, ut quoties de his agendum ſit, quæ ad nos etiam tanquã Patriarcham priuatim ſpectarent, tunc abſq; noſtra, uel Vicarij præſentia Collegium prædictum congregari poſſit, dummodo nobis prius detur notitia; nè incaſſum nos fortaſſe accedere cõtingat; cum in ſimilibus intereſſe non intendamus; ſecus uerò ſi de re priuatim ad Patriarcham non ſpectante, ſed ad ipſius officium, iuriſdictionem, dignitatem, adminiſtrationem, & regimen pertinente pertractandum erit, cum ritè in his caſibus Collegio intereſſe poſſimus; ac tunc nullum quoque Epiſcopum à Capitulo excludi poſſe ſacra Interpretum Concilij Congregatio declarauerit, cuius decreti uerba in actis huius ſynodi regiſtrari mandauimus.

Vt autem in medio ſic congregatorum Deus adſit, cuius numine negocia cuncta ritè, & proſperè expediant, cõmittimus omnibus, & quibuſcunque in Collegio intereſſentibus, ut modeſtè ſemper ſe gerant, publicam, & non propriam cauſam procurent, contentiones deuitent, iurgia abhorreant; nè cogamur eos arguere, mulctare, uel etiam punire, prout eorum culpa exegerit.

Caueant

Caueant præterea Præsidentes, nè negocia ritè ad Collegium cleri nouem congregationum non pertinentia amplectantur, uel in eo proponant, nec ipsi per se pertractent, cum nullitatis uitio subijciantur, quæ iurisdictione legitima non subsistunt, nec à nobis id quoquomodo permittendum sit.

Nè uerò dum hisce cleri negocijs assistere, & præesse uolumus, alia maiora dimittamus, monemus nè unquã horis in quibus uel Sancto Inquisitionis officio, uel audientię causarũ Curiæ nostræ Patriarchalis uacamus, Collegiũ indicatur, nisi ubi ea tractãda esset, quibus nos, uel Vicarium nrm, nõ interesse supra decreuimus.

Supradicta uerò auctoritate nostra ordinaria ac quacunq; alia firmamus, statuimus, & ordinamus, atq; pro debita exequutione literarũ Illustrissimi D. Cardinalis Alexandrini Sacrę Romanæ congregationis super cõsultationibus episcoporum Præfecti nobis primum pro parte cleri præsentatarum proponimus: de quibus in actis ipsius synodi.

De munere, & auctoritate Procuratorum Reuerendi Cleri generalis, & Collegij nouem Congregationum. Cap. XV.

QVę nuper à sede Apostolica probata sunt, & per Reuerendissimũ D. Nuntiũ Apostolicum, nosq;, publicata fuerũt pro negocijs, & causis Reuerendi Cleri generalis huius Ciuitatis ritè, ac rectè dirigendis, & tractãdis; ac de munere procuratorũ tàm dicti Cleri generalis, quàm ẽt Collegij nouem congregationum, in præsenti nostra Diœcesana synodo ad perpetuam rei memoriam promulgare statuimus, atq; inter acta, & cõstitutiones synodi inseri, & imprimi decernimus, ut omnibus innotescant, ac plene obseruentur.

Tenor uerò decretorum supradictorum sequitur.

ILlustrissimi & Reuerendiss. in Christo Patres, & Dñi D. Ludouicus Taberna Dei, & Apostolicæ sedis gratia episcopus Laudensis, ac in toto Serenissimi Dominorũ Venetorũ Dominio Nuntius Apostolicus, & Laurentius Priulus miseratione diuina Patriarcha Venetiarũ, Dalmatięq; Primas Delegati Apostolici, intẽdẽtes opportunè prouidere ut cãę & negocia Reuerendi Cleri Venetiarũ ritè in futurum peragantur; uolentesq; scandalis occurrere, Clericis utilitati, ac honori consulere, habita matura consideratione, auditisq; tàm Reuerendis Præsidentibus, quàm etiam nonnullis alijs præsbyteris cleri prędicti, auctoritate Apostolica eisdem concessa per literas

tempore quanto in officio procuratoris fuerint. Hi uerò Procuratores quatuor tantum sint, & constituantur, atque ex his quatuor primùm constituendis, duo in fine biennij remoueantur, & duo alij subrogentur, duoque alij constituantur, qui cum alijs duobus iam electis, ac instructis de cleri, siue Collegij negocijs, debito munere per tempus præfixum fungantur.

Quinto, Teneantur prædicti Procuratores finita quacunque lite, siue transacto quadriēnio, uel postquam reuocati fuerint, quascunque scripturas, & instrumenta Reuerendis Præsidentibus consignare, nec aliquid penes se retinere, quod ad Clerum quoquomodo pertinere possit.

Sexto, Sint pariter obligati, saltem in fine cuiuslibet anni rationem eorundem administrationis reddere deputandis à Reuerendissimo Collegio, siue clero; librosque expensarum, quas necessariò in causis peragendis fieri contigerit, continere ueritatem, & omni fraude carere, proprio iuramento affirmare teneantur. Donare uerò siue munera quęcunque offerre quibuscunque personis non possint ultra duos ducatos, ac de consensu omnium procuratorum, nisi causa cognita fuerit, uel à Collegio legitimè decretum, & eisdem specialiter commissum per tres partes Consiliariorum ex quatuor, qui in dicto Collegio interfuerint; in computis cui facta fuerit donatio, semper exprimatur.

Septimo, Rationi, ut sicut procurator à constituente quandocū que reuocari potest, ita omni tempore de administratis, & statu causę dominum certiorare debeat, cum fuerit requisitus. Collegiū itaque ter saltem in anno à Procuratoribus de commissis causis, & negocijs se informare curet; Procuratores uerò fideliter de statu causarum referre collegio debeant, ut de causis prosequendis, uel destituendis deliberare ualeat.

Octauo, Procuratores non sint de numero eorum qui Reuerendo Collegio interesse debeant, quòd si electi ex his fuerint, sint priuati uoto, ac alij in eorum locum debitè in Collegio subrogentur: ipsi uerò Procuratores interuenire in Collegio, & admitti debeant, ut possint de negocijs, & causis sibi commissis opportunè informare.

Nono, In particularium sacerdotum, uel clericorum, siue etiam alicuius Ecclesię causis, & negocijs Procuratores à Reuerendo Clero, uel Collegio deputandi, nullatenus se ingerāt, nec sub quocunque prætextu similes causę, & negocia eis committi possint, cū Reuerendum Collegium in ijs præsertim quæ ad nouem Con-

gre-

gregationes pertinent, Clerus uerò in grauioribus, quæ omnium ecclesiarum, uel totius Cleri, siue maioris partis præiudicium respiciunt, agere possit.

Duodecimo, liberum sit tàm clero uniuersali, quàm Collegio præfato de quibuscunque pecunijs ad eos quomodolibet pertinentibus, expẽsas necessarias in negocijs, & causis eorum facere: quòd si pecunias ex pia testatorum uoluntate inter sacerdotes congregationum pro funeralibus officijs distribuendas ad similes expensas exposuerint, siue erogare uoluerint, curet Reuerendissimus Patriarcha pro tempore, vt omnia onera tàm missarum quàm funeralium officiorum, per quoscunque congregationum confratres debitè adimpleantur, ipsosque opportunis remedijs pro eius arbitratu cogat, & compellat. Pecuniarum verò certa, & determinata quantitas procuratoribus consignetur, precedente semper cleri, siue Collegij decreto, nec ipsi absque expresso Collegij, siue Cleri consensu pecunias exigere à quoquam possint.

Lecta, & publicata fuerunt suprascripta capitula, seù decreta Illustrissimorum & Reuerendissimorum Nuntij, & Patriarchę Venetiarum per me Cancellarium de mandato Dominationum suarum Illustrissimarum præsentibus ibidem, & ea audientibus, & intelligentibus Reuerendis præsidentibus Reuerendi Cleri Venetiarum in Palatio Apostolico apud Sanctum Franciscum à Vinea, die Lunæ 7. mensis Nouembris 1594. præsentibus ibidem Dominis Emilio cicco Florẽtino, & Stephano Roborato Mediolanensi, familiaribus Illustrissimi D. Nuncij testibus uocatis, & rogatis.

Iacobus lupus Curiæ Illustrissimi & Reuerendissimi D. Nuntij Apostolici Cancelarus de præmissis rogatus, hoc illorum exemplum in fidem subscripsi.

De approbatione Apostolica quarundam Constitutionum in prima Synodo publicatarum. Cap. XVI.

NOn immeritò illius sunt decreta, cuius auctoritate roborata, & approbata existunt. Cum itaque nonnulli nomine cleri ad Sedem Apostolicam proclamauerint, ac pro reuocatione Constitutionis xij. quam de mansionariatum officijs præstandis, earumque obligationibus in priori Synodo edidimus, sæpius institerint, necnon contra aliam constitutionem 29. de Plebanis ad confessiones monialium non admittendis, & 31. de fructibus incertis beneficiorũ uacan-

dacantium fabricæ Ecclesiæ applicandis, & prout in eisdem fait statutum, non semel actum sit coram sacra Illustrissimorum Cardinalium Congregatione, ipsęque 12. 29. & 31. Constitutiones diligenter examinatæ fuerint, & re cognita, ac maturo consilio per eandem Sacram Congregationem fuerint nedum approbatæ, Apostolicaque auctoritate roboratæ, sed etiam tanquàm Ecclesiæ nostræ ualde utiles executioni omnino demandandas esse decreuerit, ut ex literis Illustrissimi Cardinalis Alexandrini eiusdem Congregationis Præfecti, sub die 16. Martij 1593. & alijs sub die 26. Iulij 1594. plenius constat. Præterea nè Constitutiones prædictæ, sic ut supra auctoritate Apostolica firmatæ, ullo unquam tempore absque simili auctoritate reuocentur, immutentur, uel quoquomodo modificentur, omnibus, & quibascumque approbationem prædictam intimamus, & significamus, atque eorundem Constitutionum debitam obseruationem committimus, & mandamus; nè transgressores, qui nullatenus excusati possunt, debitis pœnis coercere cogamur. Tenor autem literarum in actis Synodi appunct.

De obseruatione Decretorum Synodalium. Cap. XVII.

EXigit pastoralis solicitudo, quæ nos pro recto Ecclesię nostrę regimine assiduè inuigilare cogit, ut omni labore procuremus exactè obseruari quæcunque nunc Deo adiutore promulgare, & decernere uoluimus, præsertim, cum Capitulo nostrę cathedralis Ecclesiæ, ac alijs probis, & pijs uiris ualde probari cognouerimus, cum eorum consilium requisiuissemus. Ea igitur omnia, prout publicata nuper sunt auctoritate nostra ordinaria, ac alia quacunque nobis quomolibet concessa, firmamus, & communimus, correctioni tamen sanctæ matris Ecclesiæ, & Beatissimi Clementis PP. Octaui supponentes. Omnes præterea & quoscunque ad eorum executionem teneri decernimus, post mensem ab impressione computandum, ac si fuisset cuilibet personaliter, & specificè intimatę. Beneficiatis uerò, ac alijs clericis sacro ordine insignitis mandamus, ut hanc secundam Diœcesanam Synodum unusquisque retineat, atque unà cum alia priori diligenter perlegat, nè rationem aliquando reddituros, redargui, siue corrigi possit.

Omnes uerò quotquot huic Synodo interfunt, benedicimus; eosque tanquàm filios, & fratres paterna charitate hucusque à nobis receptos, pro nunc dimittimus; nostro tamen amore semper fouebimus, ac auctoritate nostra tuebimur.

ACTA, ET LECTA IN DIOECESANA

SYNODO VENETIARVM.

Celebrata anno M D XCV.

Secunda sub Illustrissimo, & Reuerendissimo Laurentio Priulo Patriarcha.

Die Martis quintadecima Mensis Nouembris 1594. & prima die Diœcesanæ Synodi.

ILLVSTRISSIMVS Et Reuerendissimus in Christo Pater, & DD. Laurentius Priolus miseratione diuina Patriarcha Venetiarum, Dalmatięque Primas cappa pontificali indutus, Cruce præmissa, atque Reuer. Dominis Canonicis, ac Plebanis præeuntibus, & comitantibus de palatio solitæ eiusdem Residentię descendit, & Ecclesiam Patriarchalem sonante organo, & decantantibus cantoribus ingreditur. Deinde ante Altare sanctissimę Eucharistię prostratus submissè orauit, & deuote adorauit, hinc que ad Altare maius diuo Petro Apostolorum Principi consecratum peruenit, ac cappa deposita, & sacerdotalibus uestimętis indutus, Missam pro Spiritus Sancti inuocatione celebrauit, Sacrificio peracto, quęcunque à Pontificali Romano pro Synodi celebratione prescribuntur, pluuiali assumpto peregit, ac frequens totius Cleri processio per plateam ante Ecclesiam existentem instituitur, deniq; litanijs recitatis, ac pręuia Synodi benedictione, decantatoque Euangelio, processionaliter ad sedem in medio Ecclesię honorificè præparatam se contulit, omnesque iuxta cuiusque gradum, & dignitatem in destinatis sedibus resederunt.

Deinde Reuerendus dominus Paulus Argentinus Diaconus Titulatus parochialis, & Collegiatæ Ecclesiæ Sancti Benedicti Venetiarum obtenta ab Illustriss. & Reuerendissimo D. Patriarcha benedictione

benedictione ex sugesto ibidem præparato Synodum uniuersam allocutus fuit, ut sequitur.

ORATIO.

Frequentia hac tanta præclarè excellentium uirorum, uirtutisque, ac sapientię gloria præstantium grauissimè commoueor, uementerque sollicitus sum tum de uobis, qui sapientissimis sententijs, lectissimisque uerbis ornatam orationem auidissimè expectatis; uel iure potius exigitis, tum de me, qui cum ingenio, arte, atque usu minimè ualeam, nihil egregium, nihil perfectum, nihil denique uestra expectatione dignum afferre possum. Nam si eorum mens, qui in mediocri, aut certè summa dicendi arte, & exercitatione uersati fuerint, eruditissimorum uirorum aspectu, & præsentia sępè (quod multis euenisse memoriæ proditum est) concidere consueuit; ego potissimum, qui ne primoribus quidem labris gustaui, & extremis, ut dicunt, digitis oratoriã uim attigi, magnis molestiis, angoribusque confici debeo ad uos dicturus, quorum incredibilem sapientiam maxima semper apud omnes, uel exteras nationes celebritate, atque existimatione floruisse, animaduertimus. Verum affectũ dolore animum una illa ratio sanare, & confirmare facilè potest, quòd uos consilium hoc meum tàm magnæ, arduæque susceptæ prouinciæ probaturos esse, non dubito promptamque uoluntatem, & studium commendaturos, quo incensus ijs, quorum singulos nutus intueor parere malui, quàm me ipsum colligere, ac diligenter expendere, quid tandem uoce absonus, lingua hæsitans, uerbis inops, tardus sententijs, actione debilis efficere potuissem. Alterum illud præterea accedit, quo in tanta perturbatione itidem sustentor, ac recreor, quòd si in optimis, & mitissimis uiris magnam spem ueniæ, iustæque excusationis collocare licet, amplam quoque mirum in modum gaudendi, lætandique occasionem mihi singularem uestram benignitatem intuenti oblatam uideo. Ac de te quidem (Illustrissime Patriarcha) quid est, quod mihi polliceri non possim? cuius tanta est in omnes facilitas, tantaque clementia, ut quamuis amplissimos quosque florentissimę, potentissimæque huius Ciuitatis gradus adeptus istum in locum, atque in istam celsissimam dignitatis sedem ascenderis, omnes tamen omnium ordinum, fortunæ, ac conditionis ea beneuolentia complectaris, ut uerè Christianæ charitatis laus tibi uni præcipuo quodam iure debeatur. Patere, obsecro, equo animo, si

Sunt qui in ijs disciplinis, quæ uel ad naturæ obscuritatem, uel ad differendi copiam referuntur, omnem suam operam collocant, multi cœlesti illa, ac planè diuina scientia quæ in Diuini numinis consideratione uersatur, animum excolunt: aliqui, ut in pauca conferam, suam in rebus diuersis ponunt industriam. Quare ex tàm uarijs institutorum, uitæque rationum generibus dissimilitudines multę personarum exoriuntur, eorum scilicet quas sibi quisque sponte sua gerendas deligit. Atqui eum personarum gradum, in quo sacerdotes locati sunt, ijs omnibus, in quibus illiberales, & id genus artes exercentur, plurimum antecellere cum istius modi uitæ status multum inter se distent, longeque diuersi sint, nullius cõfirmationis egere arbitror. Quid enim rem notam, atque apud omnes peruulgatam coner uobis ante oculos ponere? Elaborandum est potius, ut nescio quid magnum, & admirabile animo incluſum tandem aliquandò in lucem prodeat. Ac laborandum, dico? Facillimum certè fuerit, quod iam audietis, vobis ità perspectum fore, vt de eo nullo pacto dubitare liceat. Expectatis fortasse, ut sacerdotij dignitatem doctrinis liberalibus præferam? Id curo scilicet: constat enim illarum nullam esse tàm excellentem, quæ cum illa conferri queat. Illa in rerum humanarum fragilium cognitione uersantur, hæc, quę in terris fiunt, ut exigua, & minima quasi contemnens, totam ad supera, atque cœlestia se conuertit. Illas notatio naturæ, atque animaduersio peperit, hanc è cœlo nobis Christus Dominus attulit. Sed hæc ut clarissima omnibus prætermitto. Ad illud uenio, Regiæ Maiestatis lumen cui summam obseruantiam, quã meretur, populi præstant, uerè cunctis terribile, ac pertimescendum eximio sacerdotij splendore obscuratur, ac penè obruitur. Mirum profecto, sed ita uerum, vt nulli fas sit ambigere. Mirabilius tamen, si rem meditabimur acuratius. Nonne Reges uix in hanc lucem ingressi, uelut cęteri, ipsis continuò sacerdotibus subijciuntur, ut macula primorum parentum casu miserrimo suscepta, aqua ad hoc instituta diuinitus eluatur? Vt primum uerò ex pueris excedunt, eorum opera magis, ac magis indigent. Quis enim illis studijs, quibus ad ueram gloriam peruenitur, illos erudiet. Quis admonebit, vt cum, se homines esse meminerint, ius potestatemque sibi traditam ad diuinum cultum augendum, ad religionem propagandam, exerceant? de sceleratis supplicium sumant, non vt expleantur præcipites, lubricæque cupiditates, non vt satietur odium, sed ut regnum sartum, tectum ab omni flagitiosorum periculo cõseruetur: non tàm gentibus, quàm

prauis

prauis libidinibus imperare malint? Sacrificia Aeterno Deo ad expianda sua, ciuium, aliorumque, quos regunt, scelera, fieri precipiant? Quis iuste, ac legitime imperandi viam illis patefaciet? Quis demum sacra mysteria, sine quibus ad immortalem uitam nemini est aditus, Regibus ministrabit? Potest, neque enim inficior, quilibet aliqua ex his, non omnia tamen praestare, at quę poterit, quàm, quęso, demisse; quàm humiliter? Solo quippe ad Reges accessu, nedum consilijs, monitis, suasione, aut, si quando ferre occasio, malè factorum, dictorumue reprehensione in timorem coniectus non solum commoueretur animo, sed toto corpore pene horresceret, metuque exalbescens ne verbum quidem audere et facere. Sacerdos verò quàm grauiter; quàm seuerè? Si consilium Regibus dandum est, quantam fidem, ac religionem in eo sacerdos adhibet; si ijdem monendi, hortandique sunt de re aliqua, quanta constantia, ac libertate hortatur, & suadet? Si deniq; Regalis nominis arrogantia subnixi fortè alios irrideant, atque prę se contemnant, an non horum superbissimum vultum beatorum spirituum prędidio munitus, ac circumseptus tanta magnitudini animi, & fortitudine subit, ut Regno ferrum, flammam, Regibus tormenta cruciatus, ni resipiscant, atrociter minitari non dubitet? Testis est Imperator ille summus Theodosius, quem sacerdotium sic fuisse ueritum legimus, vt Ambrosium, inspectante populo, summa auctoritate ipsum obiurgantem non potuerit non patiente animo tolerare. Constantinus vero cum optimè intelligeret, quantum huic dignitati tribuendum sit, eam legem tulisse fertur, vt nulli siue Domino, siue Principi, siue Regi maiores honores haberentur, quàm Sacerdotibus. Quid ita? Praestantissimus nimirum hic Imperator præclarè nouerat, maiori honore Christum ex sacerdorum eius personam in terris gerentium ornamentis affici, quàm ex ijs, quibus Domini, Principes, & Reges afficiuntur, qui res mortales tantum, atque caducas moderantur, ac regunt. Neque verò id ipsum latuit Martinum Ecclesię Turonensis Antistitē, cui cum Valentinianus Imperator magnificè, ac splendidè ornatum conuiuium oppiparè instituisset, multis Principibus uiris accumbētibus, ipse primus, hausto poculo, mox presbytero suo hauriendum obtulit, nullum ex ijs, qui interērant, digniorē existimans, ne ipsum quidem Valentinianum, cui secundas partes deferret. Quid Arcadium, Honorium, Iustinianum, cæterosque imperatores, aut Reges commemorem quorum incredibilis pietas, singularis obseruantia, summus amor in sacerdotes, cum illorum dignitatem, Diuinæ proximam agnoscerent, sempi-

tenis sæculorum ętatibus celebrabitur. Ergo firmissima nostræ sententię fundamenta, quibus nitatur, quibus item aduersa funditus euertatur, iecisse hactenus uideor, nunc multis, quæ in hanc rem dici possent, consultò omissis, quędam ad id, de quo agitur, magis accommodata quàm breuissimè fieri poterit explicemus. Igitur qui hac dignitate pręditi sunt, multis uocabulis ad eorum præstantiam, quæ uno duntaxat exprimi nequit, significandam nominantur, præcipuè tamen presbyteri, græco nomine, quod seniores latinè conuertitur, & sacerdotes, & Legati dicuntur, ut interim breuitati studens omittam, illos Deos, Angelos, Magistros, Patres, Pastores, Turres, Columnas, Medicos, Athletas, Salem terrę, Mundi Lucem, Aratores Ecclesię, Mercatores, & sexcentis alijs nominibus à sanctis Patribus appellari. Recte autem, meritòque presbyteri, hoc est seniores dicendi sunt, non modo quia hominibus, ineunte adolescentia, cui maxima consilij imbecillitas inest, hic honos deferri non debet, sed ijs, qui iam corroborata, & confirmata sunt ætate, tribuitur, uerum etiam quia senum in iudicando prudentia, in regendo consilium, in admonendo modestia, in reprehendendo grauitas, in puniendo seueritas sacerdotes maximè decet. Ipse enim rerum usus, & experientia nos docet, frequentius apud florentem iuuentutem temeritatem, prudentiam uerò apud senectutem uigere. Huc sanè illud Plutarchi uetustissimi scriptoris, & politissimi spectat, cum inquit: Εὐλάβια γέρον ψυχὴ νεοπαννυχίδη πρὸς ζέουσαν εἰ δὲ μὴ νεότητι βακχεύουσαν ἅπτοι δόξης, καὶ φιλοτιμίας ἀφαιροῦ δ' μανικὸν, καὶ λίαν ἄκρατον. Verum suo certo, ac proprio vocabulo, cuius ui officium, & munus, quod sustinent, nobis significatur, sacerdotes nuncupantur. Primò enim solemne, & à Christo Domino institutum sacrificium, quo panis, & uinum in verum Christi corpus, & sanguinem pronunciatis sanctissimis uerbis conuertitur, pro salute populi faciunt, quod cum explanata vocum impressione fieri debeat, iccirco sacerdotis, quasi sacra dicentis nomen illis impositum est. Deinde ijs audientibus, vnusquisque peccata sua clàm cęteros confitetur, quo in munere cum illum, quem male actę uitæ pœniter, criminibus liberent, cumque præceptis, quibus bene agędi via mundatur, peccandi obsępiatur, erudiant, sacerdotes perinde, ac sacri duces dicuntur. Postremò cum præcipua Christianæ fidei capita, sanctissimaque nostræ religionis mysteria, tum præcepta, quę in Decalogo continentur, populum edocere, aliaque innumerabilia, quę multis obstructa difficultatibus indoctis scru-

pulos,

bellum (Aud:) non iniustum quidem, sed necessarium, ut in felicitate comparanda non otio langueamus, sed omnibus tùm animi, tùm corporis uiribus enitamur. Aduersarius ergo noster Diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret: nouit enim ad illam nos beatitudinem assequendam fuisse procreatos, de qua ipse animi quodam impetu concitatus, & ui natiuæ, atq; ingẽij elatus iustissimè deiectus est. Et quanquã in omnes promiscuè, & cõmuniter magna suffusus inuidia in omnes quoque petulanter inuadat, nos tamẽ, qui firmiores ad tuendũ Christianum exercitum sumus, aut saltem esse debemus, effrenatius adoritur, ut nobis profligatis, ac perditis, reliquos postea fusos fugatosque facilius trucidet. Cumque mundi rebus miserrimis, & inanissimis capi nos, ac deliniri perspiciat, nunc diuitias proponit, nt ad illas inflammati auiditate rapiamur, nunc auram popularem honoris offert, ut in domicilio superbiæ collocati despicatui cunctos ducamus, nunc propria commoda ante oculos nobis constituit, ut beneuolentiam, & Charitatem, quæ inter Christianos esse debet, prorsus adimat, eo auctore suscipiuntur graues inimicitiæ, ex quibus gignuntur iurgia, dissidia maledicta, contumeliæ. Quin etiam contendit, ut grauiora totius uitæ peccata recondemur, non ut Diuinam pro illis opem imploremus, sed ut propter conscientiam eorum in summam desperationem redigamur. Quę omnia si ad eum, quem cupit, exitum perducuntur, incredibile est, quanta cumuletur lętitia, quanta uoluptate efferatur, ac gestiat, si contra uoluntatem eueniunt, nullam tum in eo animi abiectionem cerneres, sed alijs machinis nos stantes labefactare posse confidens, nihil sanè est, quod non statim experiatur, ac tentet. Nam cum nostra nos ad uoluptatis sensum per se natura ducat, eiusdemque imbecillitatem agnoscat, menti illecebras frequentissime suggerit, quibus si forsitan irretimur tum uerò cęci, præcipitesque in omnia mala delabimur. Hæc sunt arma (Auditores ornatissimi) quibus nobiscum hostis nequissimus certat, hæc tela, quæ in nos undique intentat, hi gladij quibus sicarius imo crudelissimus, atque omni diritate, immanitateque teterrimus carnifex nos insequitur, hęc uenena, quę non secus ac dulcissimas potiones sumus obibamus, pro uiribus elaborat. Quid igitur? An iccirco demiserimus animum? spem abiecerimus? arripuerimus fugam? uitam ne, qua Deo uiuimus, tam crudeliter nobis eripi, sustinuerimus? Nihil minus. Hostis huius tam capitalis in nostra cæde bacchantis furorem, audacemque comprimendam abs te Grauissime, Sanctis-

simeque Antistes) confidimus, quem Deus Opt: Max: nobis taquā egregiè fortem, & inuictissimum imperatorem præfecit. Tu illius omnes motus, conatusque nefarios quemadmodum omni tempore sanctitate, ac religione prohibuisti, ita nos hunc in locum augustissimum congregatos, ueluti in castra uallo, fossa aggere cincta, atque obstructa, obuiam ire ijsdem docebis. Quò fiet, ut quantum ille nos malis omnibus circumuenire, urgereque enitetur, tantùm singulari tua cura, & prouidentia remedijs salutaribus subueniamur, quę postquam nobis adhibueris, quęso, ecquid præclaram nobis uictoriam remorabitur? ecquid obstabit præterea, quominus gratissimum de inimicis uel potentissimis triumphum deportemus? Rex sapientissimus Salomon exercitui optimè instructo Ecclesiam esse similem innuit, cum dixerit, Terribilis ut castrorum acies ordinata. Vt enim exercitui imperatorem proponi necesse est, penès quem belli gerendi summa consistat, eique duces, antesignanos, tribunos, centuriones, & alios adhiberi, sic in Ecclesia uniuersali Romanus Pontifex Maximus, Christi Vicarius, Beati Petri Apostolorum principis uerus successor imperatorium ius habet. Patriarchæ uerò, Archiepiscopi, Episcopi, ceterique Ecclesiarum Rectores, curæ animarum præfecti aliorum ducum munere funguntur. Hinc D. Paulus ad ephesios scribens, & ipse, inquit, dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios uerò euangelistas, alios autem pastores, & doctores. Et quemadmodum singulę etiam militum manus ducem suum peculiarem, qui tamen imperatoris nutu, & arbitrio regatur, proxime agnoscunt, ita quę uis Ecclesiam proprium sibi, qui quidem summum Pontificem colat, ascisceit Antistitē, Erit itaque Venetæ Vrbis Ecclesia terribilis, ut castrorū acies ordinata. Erit, erit inquam cunctis hostibus horribilis, infestusque nosterex ercitus, si præcepta ducis nostri sequemur, si arma, quę daturus est capiemus, quibus in hostes sine ulla formidine possimus irruere. At enim ducem illum habemus, in quo non solum bellandi aduersus Diabolum uirtus, sed innocentia, prudentia, sollicitudo, fortitudo, scientia, quicquid, uno uerbo, sacri huius exercitus imperatorem decet, conspicitur. Nam si eius probitatem spectare uelimus, quis est, qui non uideat, illum nulla unquam perditorum morum prauitate labefactatum, sed in clarissima Charitatis luce semper uersatum, pietatem, ac religionem ita assequutum, ut eas cum populi intueantur, quidquid efficiunt, cum Christiana dignitate, uehementer consentiat. Prudentiæ uerò laude quantum excellat, ex ijs, qnæ

egit,

egit, atque ad eo nunc agit, si considerata actio prudentiam sequitur, facillime colligi potest, Etenim dum Reipublicæ operam dabat quam prudenter multa prouidit? quam tuta, & plena prudentiæ tum senatui, tum priuatis hominibus ad eum undique confluentibus consilia nunquam non dedit? Omitto, quantas apud Reges, & summos Pontifices legationes obierit, quot ciuitatibus præfuerit, quot Reipublicæ munera, quàm grauia, quàm magnifica sustinuerit, Quæ uerò cum se magistratibus his abdicasset, Diuinisque rebus totum addixisset effecerit, nihil est, quod commemorem, cùm in singulos dies egregia multa facinora nobis intueri, ac suspicere liceat, Vtinã ea sicuti probe cognita habemus, sic imitando consectari aliquando possimus. Iam si sollicitudinem, si fortitudinem, si scientiam, si modestiam, si temperantiam, si iustitiam, si eximias eius uirtutes, quibus plurimum præstat, dicendo persequi uelim, qui fieri posset ut instituta orationis exitũ expediremus? Quare quis, hoc duce, prælium cum sequissimis etiam hostibus inire uereatur? cum præsertim adsit etiam Integerrimus uir Ioannes Mozzanega, quo uiro in consilijs capiendis auctore, in rebus agendis adiutore utitur, qui cum pietate erga Deũ, lenitate erga omnes maxima sit, omnẽ insuper rerũ ad benè, beateque uiuẽdũ necessariã cognitionẽ ita consequutus est, ut si oẽs qui ex omni ætate hac in ciuitate intelligentiã rerũ Diuinarũ atque humanarum habuerunt, unum in locum conferantur, cum eo non sint comparandi. Quis, inquam, non eò belli euentum perduxisse speret, nihil ut aduersum timendum, nihil omnino reformidandum esse uideatur? Hæc tantum reliqua pars esse, hic restare ad uictoriam actus uidetur, qui ad nos pertineat, ut scutis, telis, alijsque armis parati simus, Quod ubi strictim attigero, ne uestra in me attentte audiendo benignitate abuti uideat, illicò perorabo. Duo armorum genera miles aduersus hostes corporis bellaturus sumat, necesse est, alia ad tegendum se, alia ad nocendum aduersario spectant. Idem sanctus Gregorius christiano militi faciendum præcepit, cum ait, sicut ad corporalia bella nequaquam benè armatus pergit, qui aut clypeum sumens, gladio non utitur, aut utens gladio, clypeo non munitur, sic etiam miles Dei aduersitatis prælio deprænsus, & scutum patientiæ debet ante se ferre, ne pereat, & ad parcendum promptus amoris inferre iacula, ut uincat. Quod tametsi proprie de pugna rerum aduersarum intelligitur, nihil tamen prohibet, quin etiam ad quemuis inimicoum nostrorum impetum retardandum accommodetur. Arma igitur, quibus animam à Diabolo tueamur, licet

multa, & uaria doctissimi, sanctissimiq́ue Patres enumerent, attamen Beatus Ephræm Ecclesiæ Edessenæ Diaconus quinque tantum constituit, Loricam, Galeam Baltheum, Calceamentum, & scutum, ea uerò, quæ feriunt, duo recenset, Gladium, & Arcum, Ac Loricam fidei, Galeam futurorum bonorum spei, Baltheum charitati, calceamentum humilitati, scutum cruci, Gladium timori Dei, Arcum orationi respondere sacrarum litterarum, quas belli tubas uocat, testimonijs firmissimis comprobat. Capistranus in libro illo aureo, quem de bello spirituali conscripsit, militem ex equo tamen pugnaturum exprimit, atque effingit his uerbis: primò immituntur calcaria, secundò arnenses, ideſt ocreæ ęreę, tertiò brachialia, quartò lorica, quintò torax, sextò ensis cingitur, septimò galea, siue cassis imponitur, octauò super equum ascenditur, nonò scutum sumitur in sinistra, decimò lancea capitur dextera. Omnia uerò eò tendunt, (Aud: præstantissimi) ut hic auctor nõ minus sanctitate, quàm eruditione insignis Dei mandatis obtemperationem, humilitatem, in laborando diligentiã, charitatem, iustitiam continentiam, spem, temperantiam, fidem, prudentiam nobis ostendat. Rectè quidem, ac sapienter optimi hi patres, atque alij, quos longum est mihi dicere, præsertim ad finem properanti, christiani militis armorum genera cõplexi sunt, quorum ope nullus erit tam immanis aduersariorum impetus, nulla tàm acris uis, nulla tàm effrænata ferocia, quam non comprimere, ac frangere prorsus queat. Sed in ea, quę proximè edita est, Synodo, atque in hac, ad quam hodie accersiti sumus, omnia arma, ac tela nobis tàm facile ab Illustriss. Patriarcha subministrantur, vt nihil omninò desit, nisi ut ea in hostes identidem conijciamus. Synodus fide vera nos munit, summam in spem cęlestium bonorum adducit, Charitate exornat, humilitatem docet, Dei timorẽ proponit. In Synodo ostenditur ratio, qua nostris precibus Deus immortalis facilem sese præbeat, ibi rectissima initur uia, qua ad sacerdotalem gratiam modestiamq; perueniamus. A Synodo obedientiæ, iustitiæ, continentiæ, temperantiæ, prudentiæ, reliquarumq́ue omnium uirtutum præsidia quęrenda sunt. Quid plura? simus ea mente, quam Synodus nobis præscribit, agamus ea, quæ in Synodo continentur, tùm nobis exploratam victoriã possumus polliceri. Iam verò si quis in ea, quorum iampridem mentionem feci, defixerit animum, profectò intelliget, uirtutes tãtum hostem prosternere, ac fundere, è contra autem nihil, nisi ijs opposita uitia nostram omnium præstantissimam dignitatẽ labefactare. Quæ cum ita sint, Laurentius Priolus, uir prudentissimus, cle-

tique Veneti vltrà quàm credi possit, amantissimus omni cura, ac contentione sibi in eo elaborandum proposuit, ut, uitijs armis diaboli radicitus euulsis omnes magno amore ad studia uirtutis, ad honestas actiones inflammemur. Nam quàuis superiori Synodo multa, eaq; sanctissima decreta ediderit, quæ uel ad piè, sanctèq; Deum colendum, vel ad religionem augustè retinendam, vel ad mores conformandos, vel denique ad salutem nostram, ac Veneti populi pertinebant, nunc tamen alteram hanc nobis indixit, ut alia, quæ sibi superesse uidebantur, statueret. Quamobrem nos, qui Dei munere sacerdotium consecuti sumus, uosque (Clerici) qui in sacerdotum numerum cooptari ardenter cupitis, ut quam gratissimi erga Deum esse cognoscamur, ut dignitatem, quam sustinemus, admirabilem, retineamus, vt periculum, quod hostes sæuissimi in nos nullo non loco, ac tempore intẽdunt, propulsemus, vt fœlicitatem bonis omnibus cumulatã adipiscamur, Deum vniuersi opificem sanctissimè veneremur, nos dignos præbeamus, quibus tãta dignitas tributa sit, nostri nobis labores & uigiliæ omnium ornamenta uirtutum pariant, quicquid demum à sacro Antistite nunc, & in posterum nobis præcipietur, egregia animi alacritate usque ad extremum spiritum exequamur. Dixi.

POSTEA Reuer. D. præsbiter Pompilius de Benedictis Curiæ Patriarchalis Venetiarũ notarius ex sugesto ibidem præparato alta, & intelligibili voce legit fidei professionem iuxta bullam Pij Papæ IIII. Omnes verò in Synodo Congregati genua flectentes attentè audierunt eundem legẽtem, prout in priori Synodo celebrata die nona Septembris 1592. plenius continetur.

Post quæ omnes surrexerunt, ac Reuerendus Dominus Archidiaconus accedens ad Illustriss. D. Patriarcham obtulit librum Euangeliorum, & ipse Illustriss. D. Patriarcha omnibus uidentibus publicè tactis sacrosanctis Euangelijs iurauit fidei professionem iuxta formulam recitatam.

Deinde propè Illustriss. & Reuerendiss. D. Patriarcham libro Euangeliorum collocato accesserunt Prælati in Synodo existentes, Reuer. Canonici, Plebani, ac alij iuxta eorum proprium gradum, & unus post alium præstitit iuramentum super fidei professione, manibus tacto Euangeliorum libro, ac deinde quisq; osculatus fuit manus prædicti Illustriss. D. Patriarchę in signum reuerentialis obsequij, ac debitæ obedientię, & sic in notam omnes sumpti fuerunt, prout in apodigia.

Præstito per omnes iuramento, ac reuerentiali obsequio, ut supra, Illustriss. D. Patriarcha Synodo solemniter benedixit iuxta

ritum

ritum Pontificalis Romani, lector uero alta, & intelligibili voce proclamauit.

Reuerendi Patres. Die craſtina hora decimaſexta erit ſecunda ſeſſio huius Synodi Diœceſanæ, omnes itaque adſint, prout tenentur.

Illuſtriſs. & Reuerend. D. Patriarcha eadem die celebrabit Miſſam in eccleſia patriarchali, & monet quoſcunque in Synodo intereſſe debentes, qui in presbyterali ordine non ſunt, & ſacerdotes, qui craſtina die non erunt celebraturi, vt compareant parati pro ſuſcipienda ſacratiſſima Euchariſtia inter Miſſarum ſolemnia.

Si quis uero aliqua in Synodo proponenda, & diſcutienda habuerit hodie poſt veſperas compareat coram Illuſtriſs. & Reuer. D. Patriarcha, ſiue eius admodum Reuer. D. Vicario, ac exponat quęcunque maluerit, cum data opera hodie alia ſeſſio non fiat, ut commodè audiri poſſint omnes, qui de rebus ad hanc Synodum pertinentibus pertractaturi ſunt.

SESSIO SECVNDA.

Die Mercurij 16. Menſis Nouembris 1594. de mane.

ILLVST. & Reuerendiſs. D. Patriarcha honorificè comitatus, ſeruato ordine antedicto, ad Eccleſiam Patriarchale maceſſit, & in Altari maiori ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium uniuerſo Synodo aſtante, celebrauit, & inter Miſſarum ſolemnia nonnullos ſacerdotes, ac omnes Diaconos, & ſubdiaconos in Synodo congregatos ſanctiſſima Euchariſtia communicauit, peracto Miſſæ ſacrificio ſolemniores cerimonię iuxta formam Romani Pontificalis ſeruatę ſunt, ac Himno Veni creator ſpiritus, decantato, ad locum pro Synodo præparatum ſe contulit.

Idē Illuſtriſs. & Reuer. D. Patriarcha Synodū uniuerſam graui quidē, ac pio ſermone allocutus fuit, omneſq; clericos de proprio officio admonuit, ita ut Pręſulis pietas, ac vigilantia commendata merito fuit.

Poſtea uero lector decreta, ſiue conſtitutiones legit, & promulgauit, prout in eis.

Lecta uero conſtitutione tertia de diuinis officijs recitandis, & celebrandis publicata fuit bulla Fęl. Rec. Pij Papæ V. de qua in ea fit mentio tenoris ſequentis videlicet.

Pius

Pius V 1571.

Pius Episc. seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Ex proximo Lateranen. concilio, & salubris sanctio emanauit, ut quicunque habens beneficium ecclesiasticum, cum cura, & sine cura, si post sex menses, quam illud obtinuerit, diuinum officium, legitimo cessante impedimento non dixerit, beneficiorum suorum fructus, pro rata omissionis officij, & temporis, suos non faciat, sed eos tanquam iniustè perceptos, in fabricas ipsorum beneficiorum, vel pauperum eleemosinas erogare teneatur.

Veruntamen multorum animi suspensione tenentur, cuiusmodi ratę prædictę ratio sit habenda. Nos huic rei euidentius, atq; expressius prouidere uolentes, statuimus, ut qui horas omnes canonicas uno, vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficij, seu beneficiorū suorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidie diuiderentur, qui verò Matutinum tantum, dimidiā, qui cęteras omnes horas, aliam dimidiam, qui harum singulas; sextam partē fructuum eiusdem diei amittat; tametsi aliquis choro addictus non recitans omnibus horis canonicis cum alijs præsens adsit, fructusq;, & distributiones fortè aliter assignatas sola presentia iuxta statuta, consuetudinem, fundationem, vel alias sibi lucri fecisse prætendatis, etiam pręter fructuum, & distributionū amissione.

Item ille, qui primis sex mensibus officium non dixerit, nisi legitimum impedimentum ipsum excusauerit graue peccatum intelligat admisisse.

Declarantes prestimonia, prestimoniales, portiones, & qualiacunque alia beneficia etiam nullum omnino seruitium habentia obtinentes cum prædictis pariter conuenit.

At quicunque pensionem, fructus, aut alias res Ecclesiasticas, vt clericus percipit, eum modo prædicto ad dicendum officium paruum B. Marię Virginis decernimus obligatum, & pēsionum, fructuum, rerum q; ipsarum obnoxium.

Nulli ergo omnino hominum liceat hāc paginam nostrorum statuti, declarationis & decreti infringere, uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit indignationem omnipotētis Dei, ac beatorū Petri, & Pauli Apostolorū eius se nouerit incursurū. Datum Romę apud S. Petrū anno incarnat. Dom. 1571. duodecimo calend. Octob. Pontificatus nostri anno sexto. Cæsar Glorierius. H. Cumyn.

Qua publicata lector ad alias Constitutiones legendas processit, lecta uero Constitutione XI. de bonorum Ecclesiasticorum conseruatione, eorumque locatione & distractione, publicata fuit

bulla

bulla fœl. rec. Pauli Papę II. de qua in ea fit mentio tenoris sequentis.

Paulus Episcopus, seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

AMbitiosæ cupiditati, illorum prępcipue, qui diuinis, & humanis, affectatis, damnatione postposita, immobilia, & prętiosa mobilia Deo dicata, ex quibus Ecclesię, monasteria, & pia loca reguntur, illustrantur, & eorum ministri sibi alimoniam uendicant prophanis usibus applicare, aut cum maximo illorum, ac diuini cultus detrimento exquisitis medijs usurpare prępsumunt, occurrere cupientes: omnium rerum, & bonorum ecclesiasticorum alienationem, omneque pactum, per quod ipsorum dominium, cōcessionem, hypothecam, locationem, & conductionem ultra triennium, nec non in feudationem, uel contractum emphiteoticum, prætерquam in casibus à iure permissis, ac de rebus, & bonis emphiteosim ab antiquo concedi solitis, & tunc cum Ecclesiarum euidenti utilitate, ac de fructibus, & bonis seruando seruari non possunt pro instantis temporis exigentia, hac perpetuò ualitura constitutione fieri prohibemus, prędecessorum nostrorum, constitutionibus, prohibitionibus, & decretis alijs per hoc editis, quę tenore præsentium innouamus, in suo nihilominus robore permansuris. Si quis contra huius nostrę prohibitionis seriem, de bonis, & rebus eisdem quicquam alienare prępsumpserit, alienatio hypotheca, concessio, locatio, conductio, & infeudatio huiusmodi nullius omnino sit roboris, uel momenti, & tàm, qui alienat, quàm qui alienatas res, & bona prędicta receperit sententiam excommunicationis, incurrat, alienanti uerò bona ecclesiarum, Monasteriorum locorumq; piorum quorumlibet, inconsulto Romano Pontifice, aut contra præsentis constitutionis tenorem, si Pontificali, seu Abbatiali prępfulgeat dignitate, ingressus ecclesię sit penitus interdictus, & si per sex menses imediatè sequentes, sub interdicto huiusmodi, animo (quod absit) perseuerarit indurato, lapsis mensibus eisdem à regimine, & administratione suę ecclesię, uel monasterij, cui prępsidet, uel in spiritualibus, uel in temporalibus, sit eo ipso suspensus. Inferiores verò Prælati, comendatarij, & alii ecclesiarum rectores, beneficiati, uel quomodolibet administrationem obtinentes, prioratibus, prępsituris, pręposituris, dignitatibus, personatibus, administrationibus, officijs, canonicati-

nonicatibus, præbendis, alijsque ecclesiasticis cum cura, & sine, secularibus, & regularibus beneficijs, quorũ res, & bona, alienarunt, duntaxat, ipso facto priuati existant illaq; ablq; declaratione aliqua uacare censeantur: possintq; per locorũ ordinarios, vel alios, ad quos collatio eorum pertinet, personis idoneis, (illis exceptis, quæ propterea priuatæ fuerint) liberè de iure conferre, nisi aliàs dispositione Apostolicę sedis sint specialiter, aut generaliter reseruata; & nihilominus alienatę res, & bona, huiusmodi ad ecclesias, monasteria, & loca pia, ad quę ante alienationem huiusmodi pertinebant, liberè reuertantur; Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ prohibitionis, innouationis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud S. Marcum, anno incarnationis Dominicæ, millesimo quadrigentesimo sexagesimo septimo. Kal. Martij, Pontificatus nostri anno quarto.

Publicata bulla suprascripta lector constitutionem XII. legit, & promulgauit, qua lecta, cum hora esset tarda Illustrissimus & Reuerendissimus. D. Patriarcha synodo benedixit, lector uero alta uoce omnibus intimauit,

Reuerendi Patres, erit tertia, & ultima sessio huius Diœcesanæ Synodi crastina die hora decimasexta, unde omnes conuenire debent.

Et cum aliàs deputati à Reuerendo Capitulo Ecclesiæ Patriarchalis & à Reuerendo Clero in Synodo antecedenti rationes administrationis seminarij Patriarchalis diligenter uiderint, ac etiã solidauerint, ut denuò pro opportunitate temporis rationes prædictæ reuideantur: Illustr. & Reuerendiss. D. Patriarcha monet Reuerendum Capitulum ad eligendum duos reuisores; Cumq; duo alij à Reuerendo Clero sint ad eundem effectum deputandi, D. S. Illustr. & Reuerend. monet duos ex antiquioribus Plebanis, duos ex presbiteris, duos ex ordine Diaconorum, & duos ex ordine subdiaconorum, qui antiquiores sint, ut crastina die hora quintadecima compareant, & congregẽtur in palatio patriarchali ad nominandum, & eligendum duos, qui in reuisione computorum Seminarij assistere debeant iuxta formam sacri Concil. Trident. ut sic nominati, & electi possint in Synodo eadem die proponi,

Insuper cum plures, qui Synodo interesse tenentur, huicusque non comparuerint, nec minus legitimas excusationes adducere

curauerint, monentur pro ultima sessione huius Synodi ad uiendum se declarari contumaces, & successiue ad audiendum quæcumq; per Illustriss. Dominum Patriarcham in eorum contumaciæ pœnam statuenda sunt, prout Iuris.

SESSIO TERTIA.

Die Iouis 17. Mensis Nouembris 1594. de mane.

IVXTA monitionem hesterna die factam Synodus congregata fuit. Illustriss vero D. Parriarcha in Altari maiori celebrauit, & factis solemnioribus cerimonijs post Missarum solemnia, ac Euangelio, & hymno decantatis, omnes ad proprias sedes se contulerunt, & resederunt.

Postea lector publicauit.

REuerendi Patres fuerunt admoniti Parochi in prima Constitutione, quæ hesterna die fuit publicata, quatenus procurent, ne pauperes mendicantes per Ecclesiam circuire, & inter Missarum celebritatem elœmosynas petere audeant. Vt autem eo promptius, ac diligentius Parochi prædicta exequantur, quoad id non tm Synodalibus monitis persuasos, sed præceptis apostolicis se esse obstrictos cognouerint. Visum est publicare in presenti Synodo, quæ Pius Papa V. fę. rec. præscripsit, & mandauit, ad præsentem rē pertinentia, prout ex bulla Kal. Aprilis anni 1566. publicata, quæ incipit. Cum primum ad apostolatum, apertissimè apparet.

Verba uerò bullæ sunt, quæ sequuntur.

PAuperes quoque mendicantes, seu elœmosynas petentes per Ecclesias tempore Missarum, prædicationum, aliorumque diuinorum officiorum ire non sinant, sed eos ad ualuas Ecclesiarū stare faciant, sub pœna duorum aureorum Capitulis infligenda pro qualibet uice, nisi eos eijci curauerint, & Parochis dimidij aurei, Religiosis etiam claustralibus, siue regularibus præcipimus in uirtute sanctę obedientię, ut in Ecclesijs suis deputent aliquem, qui tales eijciat, & si negligentes fuerint grauissimè ab ordinario corripiantur, quod si illi parere recusauerint, grauissimas pœnas incurrent, & pro qualitate personarum etiam corporaliter punientur arbitrio nostro, siue superiorum.

Quibus

Quibus publicatis lector dixit. Reuerendi Patres notum vobis sit, quod Reuerendum Capitulum Patriarchalis Ecclesiæ iuxta sacri Conc. Trid. formam deputauit duos de Capitulo, qui presentes esse possint, dum Illustrissimus, & Reuerendissimus D. Patriarcha accipiet rationes reddituum seminarij, & sunt.

Reuerendus dominus Franciscus Luranus Primicerius,

Reuerendus dominus Franciscus Terlatus Canonicus.

Insuper cum à Clero duo alij ad eundem effectum sint deputandi, hodierna die facta fuit congregatio duorum Plebanorum, & duorum presbiterorũ, duorum Diaconorũ, & duorum subdiaconorum, qui inter proprios ordines antiquiores beneficiati sunt, qui omnes concordi animo nominarunt pro assistentibus in reuisione Computorum Seminarij.

Reuerendum D. Plebanum Sancti Nicolai.

Reuerendum D. Plebanum sanctę Marię Magdalenę.

Ea propter sic nominati proponuntur in Synodo ut ad munus prædictum à toto Clero in presenti Synodo congregato approbentur, & deputentur. Reuerendi Patres. Placet ne vobis, quòd Reuerẽdi domini Plebani Sancti Nicolai, & Sanctæ Mariæ Magdalenę sint deputati, ut nomine Cleri sint præsentes in reuisione rationum seminarij? Respondent, Placet.

Deinde lector dixit. Accedant omnes sic deputati coram Illustr. & Reuerendissimo D. Patriarcha, & deosculentur manus Illustr. & Reuerend. D. S. & sic accesserunt, & unus post alium munus in iunctum acceptauit, ac pro gratiarum actione manus eiusdem Illustrissimi D. Patriarchæ fuit deosculatus.

Postea lector alias constitutiones legit, & promulgauit, & lecta cõstitutione XIIII. fuerunt publicatæ litteræ, acta, & decreta in ipsa nominata, quę sequuntur.

All'Illustre & Reuerendissimo S. come fratello Monſ. il Patriarcha di Venetia.

Intus uerò.

ILlustre & Reuerendissimo S. come fratello. Alla cortesissima proposta in congregatione à nome di V. S. di ordine di questi miei Sig. Illustrissimi respondo, che non può lei prohibire al Clero di ragunarsi à suo beneplacito, ma che potrà ben intervenirui personalmente, overo farui intervenire à suo nome il Vicario, con che ella si contenti di lasciar che le cose del Clero si trattino con la libertà

solita, & doue intrasse l'interesse di lei in qual si uoglia modo, le piaccia de uscirne del luogo, & cosi anco faccia il Vicario conforme a quanto è stato resoluto dalla sacra Congregatione del Concilio douersi osseruare da i vescoui con li Capitoli delle chiese loro. In questa conformità potrà dunque gouernarsi, & il Signor Dio la preserui.

Di Roma li 23. Nouembre 1592.

Di V. S. Illustre & Reuerendissima.

Come fratello affettionat.

Il Cardinale Alessandrino.

Die Veneris 12. Februarij 1593. à Natiuitate.

DOminus Ventura Chiarellus procurator Reuerendi Cleri &c. cum aliàs diebus præteritis in manibus admodum Reuerendi D. Vicarij præsentauerit quasdam litteras Illustrissimi & Reuerendissimi D. Cardinalis Alexandrini pertinentes ad Reuerendum Clerum, easdem reproduxit, ac petijt per D. V. Illustrissimam earundem copiam decerni ad effectum omni modo meliori, &c.

Illustrissimus dominus Patriarcha uisis &c. copiam dictarum litterarum concessit, easque in actis registrari mandauit ad effectum, &c.

Aliæ litteræ subsonant à tergo.

Al molto Illustre, & Reuerendissimo Signor, come fratello Monsig. il Patriarcha di Venetia.

Intus verò,

MOlto Illustre & Reuerendissimo Signor come fratello. Essendosi inteso che la littera scritta a V. S. a 23. di Nouembre sia interpretata diuersamente da quel che si deue e contra la mente di questi Illustrissimi Signori è parso alle Signorie loro Illustrissime d'ordinarmi, ch'io debbia con la presente dechiararli, che se bene non può lei prohibire al Cle-

rò,& suoi Deputati di ragunarsi ad ogni suo, & loro beneplacito,nõ è però,che l'habbino da fare in modo alcuno, se prima non haueranno auisato V. S. con la prescrittione del giorno, & hora certa, acciò possa lei (uolendo) personalmente interuenirui,ouero farui interuenire in suo nome il Vicario,come par che sia necessario per prouedere, che le cose si trattino canonicamente,& per i debiti termini, già che alla cura di lei spetta il dar ordine in questo, & il contener in offitio chi eccedesse in qual si uoglia modo, si come è anco giusto, & honesto, che particularmente ella sia auertita prima quando si uorrà trattare di cosa appartenente all'interesse particolare di Vostra Sig.a fin che non li succeda il conferirsi al luogo,per hauerne poi da partir subito con poca decẽtici della superiorità,& grado suo, serui donque tutto ciò per auertimento & suo, & de i deputati dal Clero, & Nostro Signore la feliciti.

Di Roma li 5. Aprile 1593.

Di V. S. M. Illustr. & Reuerendissima.

Come fratello

Il Cardinale Alessandrino.

Resolutio sacræ Congregationis super Concilium de qua in supradictis litteris fit mentio.

AN decretum Concilij C. Vi. sess. XXV. quo conceditur facultas Episcopis conuocandi Capitulum, nisi de re ad suum, vel suorum commodum spectante agatur, sit intelligendum in illis verbis. Nisi de re ad suum, vel suorum commodum, solummodo quando res ad se,uel ad suos suo priuato nomine pertinet, an uero etiam si pertineat ratione dignitatis Episcopalis.

Congregatio Concilij censuit intelligendum, quando agitur de eo, quod priuatim interest Episcopi, etiam si id spectaret ad ipsum tanquam Episcopum. Secus si de re spectante ad ipsius officium, Iurisdictionem, dignitatem, administrationem, & regimen.

Hieronymus Card. Mattheius.

Locus sigilli.

Deinde

Diocesana del Mese di Settembre prossimo fatta, & da quel Clero tanto desiderata senza alcun Conseglio di esso Clero, & Capitolo Cathedrale ha fatto tra l'altre tre Constitutioni di grandissimo preiuditio à esso Clero, cioè una contra l'uniuersal consuetudine della Chiesa, laquale vuole, che li Beneficij simplici, ò Mansionarie di quella città, lequali la maggior parte di essi si dãno ad arbitrio delli Patroni senza che di esse alcuno se instituisca, si possino offitiare in quelle celebrando ò per se, ò per altri Sacerdoti, & il detto Monsignor Patriarcha vuole, che per se stessi, & non per altri celebrino, si come consta nelle dette constitutioni sub rub. de Mansionariorum offitijs §. Atq; . Vnaltra ne ha fatto contra il Ius commune sopra le distributioni quotidiane, hauendo statuito, che la parte di quello, che manca, si applichi alla fabrica della Chiesa, si come consta sub rub. de titulatis Ecclesiarum Collegiatarum §. Portionem verò. Essendo che alli Interessenti ne diuini offitij, ne per consuetudine di quelle Chiese, ne per statuto, ne per altra dispositione sia assegnata cosa certa, nel qual caso la parte de chi manca, par solo che si debbia applicare alla fabrica, & non quando non li è assegnata portione certa, si come nel caso di detto clero, quale solo ha distributioni quotidiane incerte douendosi allhora partire tra quelli, che sono interessenti alli diuini offitij. Et vn'altra ne ha fatto in parte contra la visita apostolica, la quale ha approbate le constitutioni fatte nelli tre Sinodi del Patriarcha passato, tra le quali vi è vna constitutione, che approba tutte l'altre constitutioni fatte da Patriarchi Precessori, le quali detto Monsignor Patriarcha in detta sua constitutione sub rub. de approbatione veterum constitutionum in prin. renoua, & approba, pur che non siano contrarie anco alle sue constitutioni. Per tanto per nome di quel clero humilmente si supplica V. S. Illustrissima & Reuerendissima che vogli ordinare à detto Monsignor Patriarcha (non parendo giusto, che esso clero sia grauato contra la general consuetudine della Chiesa, contra il Ius commune, & che sia priuo di quelle constitutioni che hanno approbate li Visitatori apostolici inserte, & stampate tra li loro proprij ordini, & Constitutioni) che vogli annullare, & cassare le dette tre Constitutioni in questa parte, che concernono tal grauamento, ouero commettere la cognitione di essi grauamenti a Monsig. Illustriss. Nontio di quella Città, & come meglio parerà à V. S. Illustriss. & Reuerendissima prouedere, che sempre si pregarà da detto Clero il Signor Iddio per la sua conseruatione, & felicità.

Alie

Aliæ litteræ, de quibus supra à tergo.

Al molto Illustre & Reuerendiss. come fratello Monsig. il Patriarcha di Venetia.

Intus uerò.

MOlto Illustre & Reuerendiss. Signor come fratello. Comparsero molte settimane sono in Congregatione gli Ambasciatori del Clero di cotesta Città, aggrauandosi sopra di alcuni ordini fatti da V. S. intorno a i quali essendo stati inteſi insieme con Monsignor Mozzanega mandato da lei, doppò matura consideratione, participato anco il tutto con la santità di N.Sig. dimente della sua santità, si è poi resoluto da questi miei Signori Illustrissimi quanto dirò appresso.

Sopra il capo della prohibitione fatta à i Piouani di non poter esser eletti per Confessori di Monasterij di Monache, essendo materia, che dipende meramente dall'arbitrio dell'ordinario, si è determinato, che non ui si debba far sopra alteratione alcuna, massime riseruandosi V. S. come fa il dar licentia quando gli parerà, che un Piouano possi rispetto alla vicinanza sodisfare all'essercitio della sua cura, & insieme à questo peso.

Sopra il capo delle Mansionarie, le quali vuole V. S. che si seruino da i proprij Mansionarij, dico, che è parso il tutto santamente ordinato, si come gli fu anco scritto con altra mia di 16. di Marzo dell'anno antecedente, & però non occorre, ch'io dica più oltre in questo particolare.

Sopra il capo de gli emolumenti incerti de i titoli uacanti, quali ordina V. S. che siano della fabrica parimente si è giudicata ragioneuole, & ben fatta tal prouisione per quel che le gli scrisse anco in questo particolare nella sudetta mia di 16. di Marzo, & così douerà farla osseruare ne i casi occorrenti. Con che hauendo sodisfatto alli ordini dattimi, non mi estenderò in altro, che in pregare il Signor Iddio, che preserui V. S. & le conceda compita felicità. Di Roma li 26. di Luglio 1594.

Di V. S. M. Illustre & Reuerendissima.

come fratello affettio natis.

Il Cardinale Alessandrino.

Deinde

DEINDE Lector Constitutionem xvij. legit, & promulgauit. Quibus omnibus lectis per lectorem publicata fuerunt infrascripta.

Reuerendi Patres de Officio, & munere officialium in Synodo deputandorum satis plenè actum fuit in priori Synodo. Vnde Illustrissimus & Reuerendissimus D. Patriarcha eligit; nominat, & deputat infrascriptos, ipsosq; monet, vt quę aliàs statuta sunt omnino obseruent.

In Cerimoniarum Reuisores, & Magistros.

Reuerendus Dominus Franciscus Luranus Primicerius, & Cathedralis Ecclesiæ sacrarum Cerimoniarum Magister.

Reuerendus dominus Iacobus de Tascherijs Plebanus S. Blasij.

Reuerendus dominus Ioannes de Peregrinis Diaconus Titulatus Ecclesiæ Sanctæ Marinæ.

Reuerendus dominus Theodosius Ciera subcanonicus Ecclesiæ Patriarchalis.

In Visitatores cuiuslibet Sexterij ad beneplacitum Illustrissimi, & Reuerendissimi D. Patriarchæ deputati, & denunciati fuerunt infrascripti videlicet.

In Sexterio Dorsi duri.

Reuerendus dominus Plebanus Sanctæ Agnetis.

Reuerendus dominus Plebanus Sanctorum Viti, & Modesti.

In Sexterio Sancti Pauli.

Reuerendus dominus Plebanus Sancti Augustini.

Reuerendus dominus Plebanus Sanctorum Vbaldi, & Agathæ

In Sexterio Sanctæ Crucis.

Reuerendus dominus Plebanus S. Ioannis Decolati.

Reuerendus dominus Plebanus S. Eustachij.

In Sexterio Canalis Regij.

Reuerendus dominus Plebanus Sancti Hieremiæ.

Reuerendus dominus Plebanus Sanctæ Mariæ nouæ.

In Sexterio Sancti Marci.

Reuerendus dominus Plebanus Sancti Vitalis.

Reuerendus dominus Plebanus Sancti Angeli.

In Sexterio Castelli.

Reuerendus dominus Plebanus Sanctæ Marinæ.

Reuerendus dominus Plebanus Sanctissimæ Trinitatis.

Deinde per lectorem denunciati & publicati fuerunt omnes infrascripti deputati ab Illustrissimo & Reuerendissimo Domino Patriarcha in Iudices Synodales.

Illustris & Reuerendissimus D. Laurentius Abbas Pisanus.
Illustris & Reuerendissimus D. Franciscus Abbas Iustinianus.
Illustris & Reuerendissimus D. Leonardus Barbarus Abbas sancti Gregorij.
Admodum Reuerendus dominus Hieronymus Sauina Prior Sanctæ Mariæ à Misericordia.
Admodum Reuerendus dominus Petrus Antonius de Ribetis Archidiaconus Ecclesiæ Patriarchalis.
Reuerendus dominus Petrus Veroneus Plebanus S. Augustini.
Reuerendus dominus Angelus Boscherius Plebanus Sancti Eustachij.
Reuerendus dominus Iacobus à Valle Plebanus S. Io. Grisostomi.

QVIBVS peractis lector Subiunxit. Accedant omnes sic, vt supra, deputati, qui in Synodo sunt, Vnus scilicet post alium coram Illustrissimo & Reuerendissimo D. Patriarcha, eique manus deosculentur. Et omnes (Rerendissimis DD. Abbatibus supradictis exceptis, qui non erant in Synodo) accesserunt, manusque Illustrissimæ D. suæ deosculati sunt.

Postea lector dixit. Pro examinatoribus promouendorum ad parochiales Ecclesias ab Illustrissimo, & Reuerendissimo domino Patriarcha proponuntur infrascripti approbandi per Synodum iuxta formam in priori Synodo præscriptam, & Synodus interpellata fuit.

Admodum Reuerendus Pater Inquisitor pro tempore. Responderunt placet pro forensibus tantum.
Reuerendus dominus Petrus Antonius de Ribetis Archidiaconus Ecclesiæ Patriarchalis. Responderunt, Placet.
Reuerendus dominus Franciscus de Michaelibus Pœnitentiarius Ecclesiæ patriarchalis. Responderunt. Placet.
Reuerendus dominus Thomas de Follis Plebanus Ecclesiæ sanctæ Mariæ Magdalenę. Responderunt. Placet.
Reuerendus dominus Cæsar Turana Plebanus Ecclesiæ Sanctæ Marinæ. Responderunt. Placet.
Reuerendus dominus Nicolaus Rampacetus Plebanus S. Stephani

ni Confessoris. Responderunt. Placet.

Reuerendus dominus Vincentius de Agazijs P lebanus Ecclesiæ Sancti Antonini. Responderunt. Placet.

Reuerendus dominus Alexander Mascharinus Iur. Vtr. Doct. Titulatus Ecclesię Sanctorum Apostolorum. Responderunt. Placet.

Reuerendus Rector Seminarij patriarchalis pro tempore. Responderunt. Placet pro forensibus tantùm.

Reuerendus dominus Rector Seminarij Ecclesiæ S. Marci pro tempore. Responderunt. Placet pro forensibus.

Postea lector proclamauit. Accedant omnes, qui præsentes sunt in Synodo ad præstandum Iuramentum iuxta formam Sacri Concilij Tridentini, necnon vnusquisque deosculetur manus Illustrissimi & Reuerendissimi Domini Patriarchæ.

Et omnes (Reuerendo Patre Inquisitore, & Rectoribus Seminariorum exceptis, qui in Synodo non erant) accedentes vnus post alium tactis Euangelijs iurauit, & manus Illustrissimi domini Patriarchę deosculatus est.

Quibus peractis omnes qui in Synodo erant genibus flexis ad Altare maius conuersi sunt, ac Reuerendus Primicerius Sacrarum Cerimoniarum Magister proclamauit, Reuerendi domini attendite.

Deo gratiarum omnium largitori. &c. prout in priori Synodo continetur.

Et facta fuit ab Illustrissimo, & Reuerendissimo D. Patriarcha, & vniuerso Clero frequens processio, omnesq; per Parochiam Patriarchalis Ecclesiæ Himnum alternis vocibus decantarunt.

Postquàm verò ad Ecclesiam omnes reuersi sunt, Illustrissimus dominus Patriarcha dicta oratione pro gratiarum actione Synodo benedixit, ac omnes, qui in Synodo conuenire tenentur, per lectorem nominati vocati sunt, & quisque respondit, adsum, qui vero absentes fuere pronunciati sunt uti contumaces.

Deinde de mandato Illustrissimi Domini Patriarchæ promulgata sunt infrascripta videlicet.

Reuerendi Patres. Cum Illustrissimus & Reuerendissimus D. Patriarcha intendat Deo dante, indicere, & conuocare Concilium Prouinciale quàm primùm pro temporis opportunitate poterit, ac omnes Reuerendissimi Episcopi Prouinciales in proprijs eorum ecclesijs fuerint: Propterea pro nunc aliam Diœcesanam Synodũ non indicit, sed post celebrationem Prouincialis Concilij, siue etiam ante, prout necessitas, vel opportunitas

tunitas exegerit, vel magis expedire cognouerit, aliam Diœcesanam Synodum erit indicturus.

Quoscumque absentes, & qui in hac Synodo non interfuerunt, Illustrissimus dominus Patriarcha pronunciat contumaces, & iuxta formam Sacrorum Canonum puniendos; Nihilominus benignè cum eis agendo, assignauit, & assignat eisdem terminum decem dierum ad se excusandum, & legitima impedimenta, si quę habent, proponendum, & probandum: Quòd si iusto impedimento à D. sua Illustrissima approbando detenti non fuerint, eosdem omnes, & singulos condemnat in pœnam ducatorum decem pro quolibet Patriarchali Seminario soluendorum, necnon ad celebrandum Missas per Mensem integrum in Ecclesia alicuius pauperis Monasterij Monialium, prout cuilibet eorũ iniunctum fuerit, & ita dicit, & sententiat omni meliori modo.

Tunc Reuerendus dominus Archidiaconus dixit. Recedamus in pace. Synodus vero respondit. In nomine Christi Amen. Et sic Illustrissimus, & Reuerendissimus D. Patriarcha Synodum dimisit, & pontificalibus uestibus depositis, cappa reassumpta ante Altare Sanctissimi Sacramenti precatus in Patriarchale Palatium redijt, omnesque recesserunt.

FINIS.

227298


image
not
available

SYNODVS
DIŒCESANA
VENETA

AB ILL^mo ET R^mo D.
IO: FRANCISCO MAVROCENO
M. D. Tarvisii Episcopo,
Dalmatiæ, &c.

Celebrata diebus 2. 3. & 4. Octobris anni M DCLIV.

AD CLERUM SUBDITUM

Decreta Generalia, Regulasque suæ Pastoralis Curæ aptis, certis & salutaribus pro Vitæ ordine, Cultuque Sacrorum, & Mores Emendationibus.

VENETIIS, M DC LIV.

Ex Typographia Publica.

CUM PRIVILEGIO S. INQUISITIONIS, ET ALIORUM.

IO: FRANCISCVS MAVROCENVS

Miseratione Diuina Patriarcha Venetiarum, Dalmatiæq; Primas, &c.

CLERO CIVITATIS, ET DIOECESIS SALVTEM IN DOMINO.

QVia Visitatio Nostra Diœcesanam Synodum præcessit, Constitutionum Synodalium paucitas generalibus Visitationis ipsius decretis annexis, atque adeò specialibus locorum respectiuè compensatur, quæ non tàm noui iuris inductiua, quàm veteris excitatiua sunt, mutatis aliquot mutamus pro temporum ratione. Eam animarum pietate, & prudentia Præsules Nostri amplissimam Sanctæ Venetæ Ecclesiæ vineam salutaribus disciplinis excoluerunt, ac Sanctionibus optimis, cæptisque contra aduersa munierunt, vt optima legum vsu fiat legis ipsius obseruantia, & Pastorali subinde sollicitudine Nobis emendandum intellexerimus præstruendis antiquis, sine noui oneris impositione. Gaudemus autem pergratum fuisse studium huiusmodi, dum Synodalis Euangelij vocem secuti (vt scilicet Apostolorum exemplo missi euangelizaremus, & sanaremus omnes) ità pristinæ legum obseruationi fluduimus, vt vitiosis humoribus eductis, Ecclesia Nostra, sicuti anteà erat, redderetur sibi ipsi similis, quod, & in corporis sanitate contingit. Immò verò paterno zelo infirmitati compatientes, & ter à Petro exactum amorem in commissione ouium amulantes, amariciem è constitutionibus, quasi è medicina eduximus, boniq; Medici instar remedia abiecimus, si quæ modo sine vt lætale dolores inijcerent, pro conscientiarum quiete & tranquillitate maiori.

Hoc ipso præterea tempore Sanctorum Florentij, Marcellini, & Iulij Martirum, ac Sanctæ Lucillæ Martiris corpora, ex Sacro Calepodij cæmeterio Roma delata, cæteslibus alijs Basilicæ Patriarchalis Nostræ thesauris Nos adiecisse lætamur, & gratulamur, vt viuis hisce Codicibus tantis propositis exemplis, hinc omnes deuotè ediscerent vitæ innocentiam, pietatem, omne virtutum genus, & ad heroicas Sanctorum actiones sanctissimè prouocarentur. Vtinam etiam Sacrorum pignorum accessione Ci-

litas ipsa Veneta Diuinis vallata præsidijs, Christiani nominis hostibus freno sit, & terrori ad Imperij perpetuam felicitatem.

Quare pari studio filiali vobis respondendum est (dilectissimi) tùm quia non sanantur qui pharmaca ori non admouent, vt ventri immorentur: tùm quia sicut in Concilio Basiliensi absentium Episcoporum Sedes occuparunt Reliquiæ, manibus Sacerdotum tota Vrbe quæsitæ, eòque deportatæ, vt per istarum subrogationem absentes tales se fore intelligerent, quales sibi contigit subrogari: ita Vos præsentes cum Sanctis huic Synodo ad Sanctitatis speculum conformaremini non tàm coactione legis, quàm imitatione virtutum.

Cæterum, quia iterùm inuigilabimus, Visitatorum Nostrorum diligentia præsertim tanquàm executorum ipsarum Constitutionum, & decretorum Patriarchalium, vt debitæ executioni demandentur, (quibus ad zelum eorumdem promouendum specialem instructionem dedimus,) & hoc ipsum gratissimum fore confidimus, cum Clerum ipsum legis præcepta reuerenter custodire oporteat, de cuius ore Populi pariter legem requirunt. Hoc paternè præsentibus intendimus, hoc obsecramus, hoc præcipimus in Domino, ad maiorem Dei gloriam, ad Clericalis ordinis dignitatem, ad huius Ecclesiæ commodum, ad Animarum salutem, ad Nostræ Charitatis officia semper maiora, ad Cleri, Populique beatam vitam, quos etiam in Domino benedicimus, vt cum apparuerit Princeps Pastorum participemus omnes immarcescibilem Gloriæ coronam. Valete.

INDICTIO SYNODI DIÆCESANÆ.

IO: FRANCISCVS MAVROCENVS, Miseratione Diuina Patriarcha Venetiarum, Dalmatiæq; Primas, &c.

CVM Diœcesanam Synodum Visitationis negotio, aliisque pluribus hucusq; dilatam ad Tridentini Concilij præscriptum ex Pastoralis officij debito habere debeamus. Ad laudem Sanctæ, & individuæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Deiparæ Mariæ Virginis, & Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac B. Marci Euangelistæ Inclytæ huius Vrbis Protectoris, ad incrementum, & exaltationem Christianæ fidei, & Religionis, Ecclesiæque Venetiarum vtilitatem, Diœcesanam Synodum Nostram in Spiritu Sancto congregandam, succesſiuèq; celebrandam in Cathedrali Ecclesia Nostra Sancti Petri de Castello, præsentibus litteris, similibus alij inhærentes, decernimus, indicimus, annunciamus, & conuocamus ad feriam secundam post Dominicam infrà octauam Corporis Christi, quæ erit Decimasexta Iunij proximè venturi.

Quare omnes, & singulos cuiuscq; ordinis Clericos beneficia obtinentes, quocunq; nomine nuncupatos, Ciuitatis, & Diœcesis Nostræ, Nobis subiectos quiq; Canonum iure, & Ecclesiasticis Sanctionibus, & Tridentini Concilij Decreto, vel consuetudine Synodo prædictæ interesse debent requirimus in Domino, & monemus, eisq; in virturæ Sanctæ obedientiæ, aliisq; sub pœnis à iure vel consuetudine contra non accedentes proponi, & inferri solitis mandamus, arctèq; præcipimus, vt statadie prædicta, hora tertiarum coram Nobis cum habitu clericali honestate, superpelliceis, & aliis requisitis conuenire Synodoq; Diœcesanæ interesse debeant (nisi iusto detineantur impedimento, de quo tamen fidem facere teneantur) nec indè discedere sine licentia Nostra, vt Spiritus Sancti gratia ea pertractemus,

mus, & promulgemus, quæ ad Diuini cultus incrementum, Cleri disciplinam, & animarum salutem videbuntur expedire.

Quia verò conscij sumus eam esse humanæ conditionis imbecillitatem, vt non simus sufficientes cogitare aliquid ex Nobis, quasi ex Nobis sed sufficientiam omnem à Deo Patre luminum existere, qui postulantibus à se sapientiam dat omnibus affluenter, mandamus præterea, vt post Synodi Indictionem huiusmodi inqualibet Ecclesia semel saltem in hebdomada quinta quaque feria celebretur Missa de Spiritu Sancto, & omnes interim Sacrosancto Missæ Sacrificio, supplicibus præcibus, & Orationibus respectiuè Synodalem actionem adiuuent: Quod Sanctimoniales Synodalibus præsertim horis in Ecclesia coram Sanctissimo Sacramento deuotè congregatæ non prætermittent, vt Diuinæ Sapientiæ Lumine mentes illustrentur, conspirantesque omnium charitate, omnia, & singula in Domino dirigantur, & perficiantur. Volumus autem, & mandamus, vt hæ Nostræ Litteræ in Cathedrali Ecclesia per Curiæ Nostræ Cancellarium inter Missarum solemnia publicè legantur, lectæque valuis eiusdem Ecclesiæ, ac Sancti Bartholomæi de Riuo Alto solito loco affiganrur, & per earum publicationem, & affixionem omnes, & singuli adstringantur, ac si coram lectæ, & intimatæ singulis essent, & nihilominùs etiam Ecclesiarum Sacristijs erunt affigendæ. In quorum fidem, &c.

Dat. ex Palatio Patriarchali Venetiarum, Die 10. Aprilis 1653.

§ Io: Franciscus Patriarcha, &c.

Io: Franciscus Montanarius Cancell. Patriarchalis.

Die Dominica infrà octauam Corporis Christi 15. Iunij 1653. Indictio præfata, iustis de causis fuit prorogata ad Feriam tertiam 17. Iunij immediatè sequentem, & publicata, præsente tunc toto Clero in Ecclesia Patriarchali conuocato pro solemni Processione Corporis Christi, de more.

SESSIO

SESSIO PRIMA
S. SYNODI
DIÆCESANÆ VENETÆ

Die 17. *Iunij* 1653.

DECRETVM.

De Synodo incipienda.

NOs Io: Franciscus Maurocenus Miseratione Diuina Patriarcha Venetiarum Dalmatiæq; Primas, &c. Ad laudem Omnipotentis Dei, ac Deiparæ Mariæ Virginis, B. Petri Apostolorum Principis huius Ecclesiæ Patroni, ac B. Marci Euangelistæ Sereniſſimæ Reipublicæ, & Inclytæ huius Vrbis Venetiarum Protectoris, primam hanc Nostram Diœcesanam Synodum in Spiritu Sancto Congregatam incipimus, & incæptam esse decernimus, ad exaltationem, & incrementum Christianæ Fidei, & Religionis, & ad Ecclesiæ Nostræ vtilitatem. Faxit omnipotens Deus pro sua misericordia, præcibusq; Virginis Mariæ Beatissimæ, & eorumdem aliorumq; Sanctorum, vt Spiritus Sancti illustratione edocti spiritum omnes reportemus ad peragenda officia Nostra secundum Dei voluntatem.

DECRETVM.

De Disciplina Synodali, quod de more est.

SYnodalibus sessionibus omnes comparent superpelliceis induti, & Ecclesiam ingressi primum adorent Sanctiss. Eucharistiæ Sacramentum, tùm vnusquisq; proceder ad Se-

dendum

dendum in loco eius gradui destinato, & omnes sint in habitu talari, & tonsura decentibus, & modestis, sine vanitate vestium, sine chirothecis, & sine anulis (exceptis Dignitatibus, & Doctoribus) iuxtà Constitutiones Patriarchales, & decretum vltimo loco etiam emanatum, contrafacientes verò ad Nos deferentur per Admodum R. R. D. D. Visitatores Patriarchales, vt Canonicæ subiaceant correctioni, & Disciplinæ.

In Ecclesia, in Plateis, & in vijs nulli fiant conuentus, seù circuli, sed in omnibus locis modestia seruetur, quo Laici, & circumstantes scandalum minimè patiantur.

Dùm fiet processio, celebrabitur Missa, & alia Diuina Officia, & cæremoniæ exercebuntur, vnusquisq; diligenter attendat, neque colloquia, risus, motus, seu aliquid aliud indecens immiscere audeat.

Omnes Sacerdotes durante Synodo Orationem in Missa de Spiritu Sancto quotidie recitabunt, ij verò qui Sacerdotes non sunt, facta peccatorum suorum confessione conueniant ad Synodum parati, vt à Nobis Sacratissima Eucharistia reficiantur, & Nobis in re tam graui Diuinum auxilium deprecentur.

Si quis Synodum de aliqua re monere voluerit, seù aliquid in ea proponere reformatione, vel aliqua prouisione dignum, prius id Litteris commendet, & in eis suam explicabit sententiam, vt habita matura consideratione, prout res, & necessitas exegerit deliberare possimus.

Dùm legentur decreta, quæ mandato Nostro in Synodo denunciabuntur omnes diligentissimè Lectorem attendant, & lecta exactissimè obseruent, & si quis ità facilè aliquod decretum non perceperit, aut aliquam in re difficultatem continere cognouerit, declarationem, & dilucidationem a Nobis, vel à Vicario Nostro humaniter obtinebit.

Quilibet in Synodo verba facere volens, Sermone latino vti deberet, vt ex eo omnes cognoscerent illum perfectè decreta intellexisse, super quibus loqui decreuerit, nihilominùs qui non fuerit ità in Latino Sermone versatus, suam sententiam dicere poterit etiam idiomate Italico, illud præterim animaduertens ne confusè loquatur, & respectu sacræ reuerentia non seruatis.

Si in

Si in Synodo nonnulla publicauerimus, aut personas certis officijs deputauerimus, quod semper auctoritate Ordinaria Nobis concessum est, non tamen hunc ordinem semper seruare volumus, sed id modò facere decreuimus, vt toti Clero faciliùs sit notum, & etiam vt omnia decreta à Nobis lata in vnum reducantur.

Et quia nomina quorumcunq; beneficiatorum, qui Synodo interesse tenentur, describi curauimus, idcircò quando vnusquisq; denominabitur, alta voce respondeat (adsum) & cunctis Synodi sessionibus adesse procuret, ne vti contumax condemnari possit.

Quando Clerus à Synodo proficiscetur, quilibet cum modestia ad proprias ædes iter arripiat grauiter, & decoro incessu, non raptim, & turbulenter, & quod in Synodo actum fuerit, diuulgare non audeat, neq; pertractare, aut publicè disputare quæ cunq; definita fuerint, ne indè laicis scandalum tribuatur, & tempore celebrationis Missæ nemo per Ecclesiam deambulet, sed deuotè omnes versentur.

Quicunq; vero his Nostris monitis, & mandatis contraire præsumpserit debitas pœnas non effugiet. Verùm in Domino confidimus, omnes in charitate, & vnitate (sicut decet) conuentum ire, ex quo Nos singularem consolationem, eosq; maximam satisfactionem consecuturos non dubitamus.

DECRETVM.

De Ministris Synodalibus.

QVia verò in huius Synodi promotione multorum adiumento, & ministerio indigemus, propterea constituimus

In Præfectum disciplinæ Clericalis, & actionis Synodalis, ac in Iudicem querelarum & excusationum absentium Admodum R. D. Franciscum Lazaronum Vic. Generalem, Proth. Apostolicum, S. Th. & I. V. D. Plebanum Paroch. & Collegiatæ Ecclesiæ Sancti Angeli.

In Præfectum scrutinij, seù examinis Synodalis Adm. R. D. Barth. Gieram Sac. Th. & Decretorum Doctorem, Vicarium perpetuum Parochialis & Collegiatæ Ecclesiæ Sancti Bartholomæi Auditorem Nostrum Generalem vnà cum Visitatoribus

toribus ſexteriorum per Nos deputandis.

In Promotorem Synodi Adm. R. D. Aloyſium Zane I.V.D. Plebanum Parochial. & Coll. Eccleſiæ Sanctæ Matiæ Nouæ.

In Secretarium Synodi R. D. Io: Franciſcum Montanarium I.V.D. Cancellarium Patriarchalem.

In Lectorem R.D. Andream de Epiſcopis Proth. Apoſtolicum Notarium Curiæ Patriarchalis, qui decreta, aliaq; legenda publicè legat, exceptis Decretis Sacri Conc. Trid. & Apoſt. conſtitutionibus perlegendis ab Adm. R. D. Archidiacono, ad præſcriptum Romani Pontificalis.

In Magiſtros cæremoniarum Adm. R. D. Georgium Ennum Primicerium Eccleſiæ Patriarchalis, & R. D. Petrum Franciſcum Vium.

DECRETVM

De præiudicio non afferendo.

STatuimus item & decernimus, ſi cui contigetit durante Synodo ſuo loco non ſedere, aut incedere, vel aliud agere, per id non propterea nouum ius acquiri, vel acquiſitum eſſe, nec cuiuſq; Iuri poſſeſſioniuè præiudicium fieri, ſed omnia in eo ipſo ſtatu preſeruari, in quo ante hanc Synodum eſſe dignoſcebantur.

DECRETVM.

De proponendis querelis, & excuſationibus.

SI quis autem alicuius abſentiam excuſare voluerit D. Vicarium Noſtrum Generalem adeat, & fidem iuſti impedimenti in ſcriptis relinquat.

Item ſi quis querelas, aut accuſationes contra aliquem delaturus eſt, eundem D. Vicarium Noſtrum adeat, ne priuatorum cauſæ grauiorum rerum tractationem impediant, neue Synodalem actionem retardent.

DE-

DECRETVM.

De non discedendo.

PRæterea omnibus, & singulis, qui huic Synodo interesse debetis, sub excommunicationis pœna, & alijs arbitrio Nostro infligendis districtè prohibemus, ne vestrum quisquam ab Ecclesia discedat, antequam sessio quelibet de more fuerit absoluta, & dimissa, nisi facultate à D. Vicario Nostro Generali impetrata.

DECRETVM

De Oratione publica.

QVoniam verò veteris instituti, solemnisq; ritus est in Synodali conuentu huiusmodi pro rebus publicis orationē fieri, quod maximè requiritur ob varias Christianæ Reipublicæ calamitates, ideo sanctissimis precibus, & missę præsertim sacrificio illud à Deo deprecamini, vt Ciuitas, & Diœcesis Nostra salutaribus adiuta disciplinis fructus semper afferat vberiores, & in hac Synodali actione Spiritus Sancti gratia, conspiranteq; omnium charitate omnia in Domino dirigantur, & perficiantur.

Orate prout in Tabella affixa columnis Ecclesię vulgari sermone pro faciliori etiam populi intelligentia, videlicet.

TAVOLA DE'PONTI DELL'ORATIONE

Per la Sinodo Diocesana di Venetia.

1 PRegate Dio per la Santità di N. S. Papa Innocentio X. che gli dom salute, e longa vita, & aiuti nel gouerno di Santa Chiesa.

2 Per l'essaltatione di S. Chiesa, estirpatione dell'heresie, e concordia trà Prencipi Christiani.

3 Per la Serenis. Republica nostra di Venetia, & Serenis. Prencipe, che Iddio gli doni gratia di vincere li nemici della Santa fede, e di mantenere sempre felicissimo questo Religiosissimo Domimo, &

per tutti quelli che hanno parte nel gouerno temporale, perche possano gouernare secondo il volere di Dio, & sálute de'Popoli.

4 *Per Monsignor Illustriss. & Reuerendiss. Patriarcha, che Iddio gl' augumenti largamente le sue gratie per ben sodisfare al suo ministerio nel gouerno di questa Chiesa, & per tutti quelli che hanno parte del suo gouerno.*

5 *Per il Clero tutto della Città, & Diocese, acciò Dio doni gratia d'operationi buone, e di spirito feruente à tutti li Chierici, & Sacerdoti, & Spirito d'osseruanza à tutti li Religiosi, & Religiose.*

6 *Per la riforma, & progressi della disciplina Christiana nella Città, & Diocese, & per il suo bene spirituale, & temporale.*

7 *Et finalmente che doni S. D. M. à tutti li Popoli Spirito di vera deuotione Christiana: conserui frà essi la pace, & l'abondanza de' frutti della Terra: leui le discordie, & inimicitie: conuerta gli ostinati peccatori dalla loro mala vita, perche ritornino in gratia con emendarsi: difenda, & liberi tutti da ogni auuersità, trauaglio, & afflittione spirituale, & temporale.*

SESSIO SECVNDA.

Die 18. *Iunij* 1653.

IVdices Synodales electi ex forma Sac. Conc. Trid. cap. 10. sess. 25. de reformat. & Constitutionis Bonifacij VIII. incipit: Statut um. de rescrip. in 6.

Adm. R. D. Franciscus Lazaronus S. Th. e I.V.D. Proth. Apostolicus Plebanus Parochialis, & Coll. Ecclesiæ Sancti Angeli, Vic. Generalis Patriarchalis.

Adm. R. D. Benedictus de Cappis S. Th. D. Archid. Ecclesiæ Patriarchalis.

Adm. R. D. Gaspar Lonigo Sac. Th. & I. V. D. Plebanus Paroch. & Coll. Ecclesiæ Sancti Ioannis Decollati.

Adm. R. D. Bartholomæus Giera Sac. Th. & Decret. Doct. Vicarius perpetuus Parochialis, & Coll. Ecclesiæ Sancti Bartholomæi.

Ad. R. D. Bartholomæus Ancharanus S. Th. D. Plebanus Parochialis & Collegiatæ Ecclesiæ Sancti Basilij.

Examinatores electi, & approbati in præsenti Synodo ad præscriptum Sac. Conc. Trid. cap. 18. sess. 24. reformat.

Adm.

Adm. R. D. Benedictus de Caphis S. Th. D. Archid. Ecclesiæ Patriarchalis.

Adm. R. D. Bartholomæus Gierá Sac. Th. & Decretor. Doctor, Vicarius perpetuus Parochialis, & Colleg. Ecclesiæ Sancti Bartholomæi.

Adm. R. D. Io: Baptista de Fabris S. Th. D. Plebanus Parochialis, & Coll. Ecclesiæ Sancti Lucæ & Canonicus Ecclesiæ Patriarchalis.

Adm. R. D. Ioannes Iogalius S. Th. D. Canonicus Ecclesiæ Patriarchalis.

Adm. R. D. Hieronymus de Melchioribus Plebanus Parochialis, & Coll. Ecclesiæ Sanctæ Fuscæ.

Adm. R. D. Bartholomæus Ancharanus S. Th. D. Plebanus Paroc. & Coll. Ecc. Sancti Basilij.

Adm. R. D. Paschalinus Danieli Plebanus Paroc. & Coll. Ecc. Sancti Benedicti.

Adm. R. D. Matthæus Caberlotus Plebanus Paroc. & Coll. Ecclesiæ Sancti Thomæ.

Adm. R. D. Bernardus Rota I. V. D. Plebanus Paroc. & Coll. Ecclesiæ Sancti Iuliani.

Adm. R. D. Aloysius Zane I. V. D. Plebanus Paroc. & Coll. Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Nouæ.

Adm. R. D. Matthæus de Mapheis I. V. D. Plebanus Paroc. & Collegiatæ Ecclesiæ Sancti Hieremiæ.

SESSIO TERTIA

Confirmatio, & Moderatio antiquarum constitutionum respectiuè.

BEatissimi Laurentij Iustiniani Protopatriarchæ Venetiarum, & Castellanorum Episcoporum præcessorum eius, successorumq; Patriarcharum Sanctissimis decretis, & salutaribus Constitutionibus, quibus Visitatio Apostolica accessit, Ecclesiam Nostram ad omnem pietatem, & disciplinam ità munitam esse conspicimus, vt quemadmodum in Visitatione Ecclesiarum executioni præmissorum studuimus, ità modò non libros implere legibus, sed in editarum vsu Clerum Nostrum confirmare censeamus, vt suaui iugo, leuiq; onere Christi Crucem post Nos deferát pro sua, & populi salute.

Quare

Quare Constitutiones ipsas Sacri Concilij Trid. & Visitationis Apostolicæ, ac Nostræ decretis non aduersantes, confirmandas, & approbandas esse duximus, prout tenore præsentis Constitutionis confirmamus, & approbamus: contrarias autem, si quæ sint, & consuetudines prauas, ac abusus, si qui irrepserint, Ordinaria, & Apostolica ab Oecumenica ipsa Tridentina Synodo Nobis concessa facultate abolemus, & ad Concilij eiusdem decreta, ac Visitationis Apostolicæ, & Nostræ formam reducimus: reducentes pariter quæ de prohibita Sacramentorum administratione in ipsis Constitutionibus leguntur, ad viam iuris communis, ita quod ad Sacramentum Pœnitentiæ nemo vnquam admittatur sine licentia, & approbatione Patriarchali.

Ad alia verò Sacramenta possint admitti per Adm. RR. DD. Plebanos indefectum Presbyterorum titulatorum, vel ex alia causa vrgenti, non tamen ad longum tempus, sine consimili approbatione, quæ etiam necessaria est, quando cura animarum datur in titulum. Vbi tamen de Eucharistiæ administratione agitur liberum eis sit vti ministerio cuiuscunq; Sacerdotis aliàs grauis, & in habitu modesto incedentis.

Paternæ item charitati intenti, & de conscientiarum tranquillitate solliciti decernimus, & declaramus in ijs quæ Nostræ authoritatis sunt, per Constitutiones, Edicta, & Decreta Patriarchalia neminem ad mortalis peccati culpam in posterum obstringi, vel obligari, nisi secus materiæ grauitas exposcat, vel nisi ex alia lege quis sub mortali teneatur, vel sit apposita pœna excommunicationis, vel alterius censuræ.

Quia verò sobriè, magnaq; circumspectione exercendus est gladius excommunicationis, & censurarum, cum docente experientia, & ex Sac. Conc. Trid. magis aliquando contemptui sint, quam formidini, & perniciem nonnunquàm potiùs pariant, quàm salutem; animaduertentes Nos Præcessorum Nostrorum statuta aliqua in præmissis obesse potiùs quàm prodesse, ne vlterius obesse valeant prouisionem nouimus ex Sacris Canonibus ad Nos pertinere.

Decernimus propterea omnes excommunicationes, vel alias censuras ipso facto incurrendas, & latæ sententiæ appositas in Constitutionibus, Decretis, & Edictis Patriarchalibus (nisi ex Conciliari, Pontificali, vel alia superiori Constitutione

sint

sint, ac Edicto de non alloquendo Moniales excepto) reducendas fore, & esse ad comminatorias, prout præsenti decreto reducimus, & reductas esse volumus; saluo tamen iure aggrauandi cum pœnis pecuniarijs locis pijs applicandis, & alijs grauioribus arbitrio iustitiæ si, & prout luris fuerit, & negotij grauitas, ac inobedientiæ iteratio postulauerit.

Declarantes in præmissis omnibus Nos non intendere per hoc in aliquo derogare sententijs, decretis, aut præceptis contra particulares personas, aut particularia Capitula emanatis: quas, & quæ respectiue volumus in suo robore permanere.

Quod autem pertinet ad alienæ Diœcesis Sacerdotes admittendos ad celebrationem Missarum in hac Ciuitate, & Diœcesi: Adm. RR. Plebanis, & Ecclesiarum Rectoribus permittimus, vt pro vna vel altera vice ad celebrandum in eorum Ecclesijs (Monialium exceptis) eos admittant, quin etiam vsque ad octo dies, si non pro eleemosyna, sed deuotionis feruore celebrare desiderauerint: dummodo tamen personæ eorundem Sacerdotum sint ipsis DD. Plebanis, aut Rectoribus benè cognitæ, & cum decenti habitu, & tonsura incedant, & non aliàs, aliter, nec alio modo.

Adm. R. R. Plebanis pariter, & Rectoribus Ecclesiarum (non tamen Monialium) licentiam concedimus admittendi Concionatores aliàs per Nos approbatos, pro vna vel altera vice ad prædicandum in eorum Ecclesijs: dummodò sint de familia alicuius ex Monasterijs huius Ciuitatis, in quo sub obedientia Superioris actualiter degant, sibiq; constet in primis de licentia proprij Superioris, & de approbatione Patriarchali aliàs obtenta, & non reuocata.

Quibus omnibus & singulis per Nos, ex debito Pastoralis officij, ac pro Cleri Nostri tranquillitate, vt supra, decretis, ac statutis omnes (vt par est) parituros esse, non pœnarum, vel animaduersionis formidine, sed filiali obedientia paternæ Nostræ dilectioni debita, in Domino confidimus, & enixè adhortamur.

Electi, & approbati in hac Synodo ad reuisionem Computor Seminarij.

Adm. R. D. Georgius Marchettus
Adm. R. D. Natalinus de Grassis
} Canonici electi ab Adm. R. Capitulo Ecclesiæ Patriarchalis.

R. D.

R. D. Michaele Peronus Secundus Pr. tit. Ecc. SS. Hermagoræ & Fort.
R. D. Matthæus de Acerbis S. Th. D. Tert. Pr. tit. Ecc. S. Apollinaris.

Electi, à duobus Plebanis, duo bi Presb. duobus Diaconib. & duob. Subdiaconibus titulatis antiqu. In proprijs titulis resp. & appr. a Synodo per verbum; Placet.

Magistri ceremoniarum deputati ad beneplacitum Illustriss. & Reuerendiss. D. Patriarchæ

Adm. R. D. Primicerius Ecclesiæ Patriarchalis
Adm. R. D. Plebanus Sancti Lucæ,
Adm. R. D. Plebanus Sancti Fantini,
Adm. R. D. Plebanus Sancti Antonini.

Visitatores sexteriotum deputati ad beneplacitum Illustriss. & Reuerendiss. D. Patriarchæ.

In Sexterio Castelli.

Adm. R. D. Plebanus Sancti Antonini.
Adm. R. D. Plebanus Sancti Io: Baptistæ in Bragora

In Sexterio Sancti Marci.

Adm. R. D. Plebanus Sancti Lucæ.
Adm. R. D. Plebanus Sancti Fantini.

In Sexterio Canalis Regijs.

Adm. R. D. Plebanus Sanctæ Fuscæ
Adm. R. D. Plebanus Sancti Martialis.

In Sexterio Sanctæ Crucis.

Adm. R. D. Plebanus SS. Simonis, & Iudæ.
Adm. R. D. Plebanus S. Simeonis Prophetæ.

In Sextorio Sancti Pauli.

Adm. R. D. Plebanus S. Thomæ.
Adm. R. D. Plebanus Sancti Stephani Confessoris.

In Sexterio Dorsi Duri.

Adm. R. D. Plebanus Sancti Basilij.
Adm. R. D. Plebanus Sancti Pantaleonis.

Instrumentum publicum de actis in Synodo Diœcesana Venetæ diebus 17. 18. & 19. Iunij 1653.

N NOMINE DOMINI AMEN. Anno à Natiuitate eiusdem D. N. Iesu Christi Milesimo Sexcentesimo Quinquagesimo tertio Indictione sextâ, die verò Iouis decima nona mensis Iunij, Pontif. autem S.mi D.N. Innocentij Diuina prouidentia Papæ X. Anno Nono. Per hoc præsens publicum Instrumentum cunctis euidenter pateat, & sit notum, quod cum Illustrissimus, & Reuerendissimus in Christo Pater, & D. D. Io: Franciscus Maurocenus M. D. Patriarcha Veneriarum, Dalmatiæq; Primas &c. eius primæ Synodi Diœcesanæ per publicum edictum celebrationem indixisset, proùt in eodem edicto Indictionis, dato Venetijs ex Patriarchali Palatio die X. mensis Aprilis 1653. publicato & affixo de more valuis Ecclesiæ Cathedralis, & Sancti Bartholomæi de Riuoalto, ac Sancti Geminiani & Sacristijs aliarum Ecclesiarum Nobis subiectiarum pro institutione, & pleniorì notificatione, pro feria secunda infrà octauam Corporis Christi 16. Iunij 1653. seruatis seruandis posteà prorogatam iustis de causis ad feriam tertiam immediatè sequentem 17. Iunij 1653. Prima ipsa die sessionali de mane circa horam Tertiarum præscriptus Illustrissimus, & Reuerendissimus D. Patriarcha Pontificalibus indutus processionis ritu, Cruce præmissa, ac præeunte Capitulo, Dignitatibus scilicet, & Canonicis, ac Clero Ciuitatis, & Diœcesis de more à Palatio solitæ eius residētiq; ad Ecclesiā Patriarchalem accessit: vbi solemni campanarum, & organi sono exceptus, facta adoratione, & submissa oratione in scabello ad id præparato in parte superiori sepulchri q. Illustrissimi Patriarchæ Diedi versùs Altare Sanctissimi Sacramenti, mox ad Altare maius in propriam Sedem se recepit, & succeſſiuè missam solemnem Pontificalem de Spiritu Sancto celebrauit, Orationesq; Litanias, & Preces, vt in Pontificali Romano, recitauit, & omnes de Clero interim super pelliceis induti in proprijs sedilibus respectiue se distribuerunt. Deindè per Adm. R. D. Ioannem Iogalium S.T.D. ex suggestu pio & eleganti stylo habita fuit oratio, qua finita,

C

nita, de mandato Illustrissimi, & Reuerendissimi D. Patriarchæ fuerunt per me Cancellarium, & Secretarium infrascriptum publicata decreta reuerenter accepta de manibus eius videlicet: De Synodo inchoanda, & inchoata. Item de disciplina Synodali. Item de ministris Synodalibus. Item de præiudicio non afferendo circa præcedentiam in præsenti Synodo. Item de proponendis querelis, & excusationibus. Item de non discedendo, nisi sessione finita, aut venia impetrata. Item de oratione publica, de quibus suprà. Quibus actis, & publicatis, per Adm. R.D. Aloysium Zane I.V.D. huius Synodi Promotorem facta fuit instantia, vt omnes, & singuli qui iure, vel consuetudine Synodo Diœcesanæ interesse debent, publicè vocarentur: habitoq; decreto Illustrissimi, & Reuerendissimi D. Patriarchæ, per Lectorem vocati fuerunt omnes, & singuli, iuxtà listam in actis registratam. Deindè D. Synodi Promotor instetit mandari legi *decretum Sac. Conc. Trid. cap. 2. sess. 25. de reformat.* quod incipit. *temporum calamitas.* vsq; ad §. *ad hæc omnes ij &c.* & succesiuè Fidei professionem emitti per eos omnes, qui Synodo interesse debent, illamq; aliàs in Synodo non emiserunt, iuxtà formulam præscriptam in Constitutione Pij Papæ IV. Et facto decreto iuxta petita Adm. R.D. Benedictus de Cappis Archidiaconus ex suggestu perlegit alta, claraq; voce decrerum præcitatum: & succesiuè coram Illustrissimo, & Reuerendissimo D. Patriarcha genuflexus Fidei professionem ad formam Constitutionis prescriptæ recitauit, omnibus pariter de Synodo genuflexis ad sua loca submissa voce illam recitantibus vsq; ad illa verba exclusiuè: *sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia*, quæ solus D. Archidiaconus recitauit, & tactis corporaliter Sanctis Euangelijs iuramentum præstitit, quod etiam singulis omnes succesiuè similiter prestiterunt dicentes: *sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia*. Postea per D. Promotorem Synodi facta fuit instantia contrà absentes, eorumq; contumacia accusata. Demùm facto per Illustrissimum, & Reuerendissimum D. Patriarcham decreto Indictionis futuræ sessionis pro die immediatè sequenti, eoq; publicato, ac data benedictione Pontificali ipse Illustrissimus, & Reuerendissimus D. Patriarcha, comitantibus Dignitatibus, Canonicis, & alijs de more in Palatium se recepit, & omnes recesserunt.

Die

Die autem Mercurij sequenti 18. Iunij congregata Synodo in Ecclesia Patriarchali prædicta, ac per Illustrissimum, & Reuerendissimum D. Patriarcham celebrata Missa de Spiritu Sãcto, recitatisq; Precibus, & Orationibus, cum Hymno: *Veni creator &c.* ad præscriptum Pontificalis, Lector publicauit decretum de præiudicio non afferendo in præcedentia; & per D. Promotorem facta fuit instantia de vocando Clero, & de emittenda Fidei professione ab ijs, qui primæ sessioni non interfuerunt, illamq; aliàs in Synodo non emiserunt: obtentoq; decreto fuerunt omnes vocati. Et successiuè accesserunt nonnulli, quorum vnus alta voce Fidei professionem iuxtà formam Constitutionis Pij IV. recitauit, alijs submissa voce illam pariter recitantibus vsq; ad illa verba: *Sic me Deus adiuuet &c.* quæ posteà singuli protulerũt, & tactis corporaliter sanctis Euangelijs, iuramentum præstiterunt. Deindè D. Promotor Synodi instetit publicari decreta Sac. Conc. Trid. quæ Illustrissimus, & Reuerendissimus D. Patriarcha publicanda constituit; & fuerunt per D. Archidiaconum, de mandato Illustrissimi, & Reuerendissimi D. Patriarchæ ex suggestu perlecta alta, & intelligibili voce ex *Sac. Conc. Trid.* De residentia *c. 2. de reformat. sess. 6.* incipit: *Episcopis inferiores. c. 1. de reform. sess. 23.* incipit: *cùm præcepto Diuino §. eadem omninò. c. XII. de reformat. sess. 24.* incipit: *cum dignitates*: *§. prouisi etiam vsq; ad §. nominem, & §. prætereà obtinentes.* De vita, & honestate Clericorum. *cap. 6. de reformat. sess. 14.* incipit: *quia verò & si habitus. cap. 1. de reformat. sess. 23.* incipit: *nihil est.* cap. *XIV. de reformat sess. 25.* incipit: *quàm turpe.* De ijs qui confessiones audiunt *cap. XV. de reformat. sess. 23.* incipit: *quamuis Presbyter.* De matrimonio *cap. 1. sess. 24. de reformat. matrim.* Posteà D. Synodi Promotor instetit mandari legi decretum *Sac. Conc. Trid.* cap. X. de reformat. sess. 25. & Constitutionem Bonifacij VIII. quæ incipit: *Statutum*, de rescrip. in 6. & pro eorum executione deputari, & Synodo publicari illos, quos in Iudices Synodales designare deliberauit: & obtento decreto, per D. Archidiaconum lectum fuit cap. X. præcitatum, & Constitutio Bonifacij VIII. item citata. Successiuè verò per listam datam ab Illustrissimo, & Reuerendissimo D. Patriarcha nominati fuerunt, & publicati per lectorem Iudices Synodales, quorum singuli à Synodo, per verbum: *Placet* fuerunt approbati: &

postmodùm vocati, in signum susceptì muneris accesserunt ad Illustrissimum, & Reuerendissimum D. Patriarcham, & eius manus sunt deosculati : Deindè D. Promotor instetit mandari legi decretum *Sac.Conc.Trid. cap.8. de reformat sess.24.* eoq; lecto, pro eius executione per Illustrissimum, & Reuerendissimum D. Patriarcham nominari in examinatores Synodales personas sibi benè visas, easq; Synodo proponi pro approbatione. Obtentoq; decreto, & lecto per D. Archidiaconum d. *cap.* 18. ac denunciatis Nominibus Examinatorum, deputatisq; ad vnarum aperitionem, & votorum enumerationem Adm. RR. DD. Vicario Generali, Archidiacono, & antiquiore ex Dominis Plebanis, nempè D. Plebano Sancti Ioannis Decollati, fuerunt recepta vota secreta ab omnibus, & singulis de Synodo. Mòx per Deputatos prænominatos, seruatis seruandis, ac præsente me Secretario apertis vnis, singulorumq; votis propitijs, & contrarijs respectiuè numeratis, instante D. Promotore, & de mandato Illustrissimi, & Reuerendissimi D. Patriarchæ fuerunt per Lectorem Synodo publicata nomina Examinatorum approbatorum, quæ in actis, & suprà descripta apparent. Et immediate per eosdem examinatores præstitum fuit corporale iuramentum, tactis Sacrosanctis Euangelijs in manibus D. S. Illustrissimæ, & Reuerendissimæ quòd munus susceptum, quacunque humana affectione postpositâ, fideliter, & liberè exequentur. Postmodum verò per D. Promotorem facta fuit instantia pro deputandis ad reuisionem computorum Seminarij ijsq; nominandis in actis pro futura sessione : duobus, per Ad.R. Capitulum Cathed. Ecclesiæ, & duobus pro parte Ven. Cleri de more, videlicet per duos ex antiquioribus beneficiatis Pleb. duos ex antiquioribus Pres. titulatis per duos ex antiquioribus Diaconibus, & per duos ex antiquioribus Subdiacon. pariter titulatis, ad id ante futuram sessionem congregandos. Obtentoq; & publicato per Lectorem decreto, cum monitione pro nominatione prescripta, idem D. Promotor instetit procedi contrà absentes tanquàm contumaces, & inobedientes per solitas cedulas, quod & obtinuit. Et demùm Illustrisi. & Reuer. D. Patriarcham indixit tertiam sessionem pro die Iouis 19. Iunij immediate sequente, publicataq; per Lectorem ipsa indictione, Synodo solemniter bene-

dixit

dixit eamq; proùt in prima seſsione in Domino dimiſit, & in Palatium ſe recepit.

Hodierna autem die Iouis 19. Iunij Illuſtriſs. & Reuerendiſsimus D. Patriarchá, congregato Capitulo, & Clero in Eccleſia Patriarchali preſcripta, proùt in præcedentibus ſeſsionibus hora Tertiarum, Miſſam de Spiritu Sancto celebrauit, recitatiſq; precibus, Hymno Veni creator, Pſalmis, & Orationibus, ad formam Romani Pontificalis, publicatum fuit decretum de non præiudicando alicuius præcedentiæ in hac Synodo, & quòd nemo diſcedat, niſi ſeſsione finita, & benedictione accepta. Poſteà vocati fuerunt omnes, qui præcedentibus ſeſsionibus non interfuerunt, & profeſsione Fidei aliàs in Synodo non emiſerunt, vt accederent ad Illuſtriſsimum, & Reuerendiſsimum D. Patriarcham Fideiq; profeſsionem genuflexi emitterent, & iurarent; quod à nonnullis peractum fuit vt in præcedenti ſeſsione. Deindè per D. Promotorem Synodi facta fuit inſtantia pro publicatione deputatorum, & nominatorum, tàm pro parte Capituli Eccleſiæ Cathedralis, quàm pro parte Cleri ad reuiſionem computorum Seminarij: obtentoq; decreto, & publicatis deputatis, & nominatis pro parte Capituli; fuerunt poſteà publicati, & à Synodo approbati per verbum (Placet) illi qui pro parte Cleri fuerunt nominati, quorum omnium nomina in actis, & ſuperius ſunt adnotata: Sicq; omnes deputati acceſſerunt ad Illuſtriſsimum, & Reuerendiſsimum D. Patriarcham, & in ſignum ſuſcepti muneris deoſculati ſunt manus D. S. Illuſtriſsimæ, & Reuerendiſsimæ. Poſteà D. Promotor Synodi inſtetit legi ex *Conc. Trid. decretum de obſeru. & rit. in celebrat. miſſ. ſeſſ. 22. &* ex Synodo Diœceſana prima ſub Eminentiſſimo, & Reuerendiſsimo D. Cardinale Priolo Patriarcha legi Conſtitutionem *cap. XI.* Magiſtroſq. ceremoniarum ad effectum, & formam dictæ Conſtitutionis deputari, & Synodo denunciari, pro omnium, & ſingulorum notitia: obtentoq; decreto, & lectis per D. Archidiaconum decreto Conc. Trid. præcitato, & per Lectorem Conſtitutione preſcripta; Illuſtriſsimus, & Reuerendiſsimus D. Patriarcha deputauit, & publicari mandauit per ſe delectos in Magiſtros Cæremoniarum eius arbitrio duraturos iuxtà liſtam etiam in actis, & ſupra regiſtratam. Poſtmodum D. Synodi Promotor inſtetit

tit ex d. *Synodo Priola prima legi Constitutionem cap. 46. de duodecim Visitatoribus sexteriorum, & executoribus decretorum Patriarchalium* : Visitatores q; & Executores deputari, & publicari huic Synodo, pro omnium, & singulorum intelligentia: obtentoq; decreto, & lecta Constitutione prædicta per Lectorem, deputati fuerunt Visitatores duo pro quolibet sexterio, & publicati, iuxtà listam datam per Illustrissimum, & Reuerendissimum D. Patriarcham, in actis, & suprà adnotatam, ad beneplacitum D. S. Illustrissimæ, & Reuerendissimæ duraturi : Et successiuè vocati fuerunt omnes tàm Visitatores sexteriorum quàm Magistri cæremoniarum, & in signum susceptimuneris deosculati sunt manus Illustrissimi, & Reuerendissimi Domini Patriarchæ. Deindè per D. Promotorem Synodi facta fuit instantia pro Constitutionibus Synodalibus, ad Ecclesiasticā disciplinā retinendam & Ecclesię huiusce vtilitatem, & receptis Constitutionibus de manu Illustrissimi, & Reuerendissimi D. Patriarchæ, præsertim circa confirmationem, & moderationem antiquarum Constitutionum respectiuè, fuerunt per Lectorem clara, & altà voce publicata, vt suprà. Factaq; per D. Promotorem instantia de vocando Clero, & prestanda obedientia; fuerunt omnes vocati nominantim, omnesq; item coram Illustrissimo, & Reuerendissimo D. Patriarcha comparuerunt, & genuflexi eius manus deosculantes obedientiam debitā præstiterunt. Et notati fuerunt absētes, quos omnes D. Synodi Promotor instetit pariter tanquàm contumaces, & inobedientes condemnari, citatis citandis ad valuas Ecclesiæ Patriarchalis Factoq; decreto condemnationis contumacium in pœnam pecuniariam soluendam pijs locis, nisi infrà decem dies post citationem ad valuas legitimam excusationem allegauerint : idem D. Promotor instetit pro indictione nouæ Synodi, & dimissione præsentis. Tunc de mandato Illustrissimi, & Reuerendissimi D. Patriarchæ noua Synodo indicta, pro feria tertia post Dominicam infra octauam Corporis Christi anni proximè venturi 1654. & proùt latiùs patet in actis Synodi, ad quæ relatio habeatur: Factisq; acclamationibus ad formam Pontificalis, & solemni processione peracta: decantato item *Te Deum*, ac data ad cautelam absolutione, & dispensatione, proùt in ipsis actis : Synodus cum solemni benedictione fuit in Domino dimissa.

De-

Demùm D. Synodi Promotor rogauit me Secretarium, & Cancellarium infrascriptum, vt de præmissis actis, lectis, & promulgatis omnibus, & singulis vnum & plura conficerem instrumentum, & instrumenta.

Acta fuerunt præmissa omnia in Cathedrali Ecclesia Sancti Petri de Castello Venetiarum Anno, indictione, Pontificatu, mense, & diebus suprascriptis: præsentibus Antonio Santurino, & Antonio Gagis Clericis Cursoribus Curiæ Patriarchalis testibus &c.

Ego Io: Franciscus Montan. I.V.D. Curiæ Patriarchalis Venetiarum. Cancell. & Notarius, ac Synodi Secretarius rog. hoc præsens publicum confeci instrumentum.

ORATIO.

Cæli enarrant gloriam Dei Ps. XVIII.

ECclesiasticæ Venetæ Reipublicæ Comitia, Deo auspicante celebraturi N. N; illud vnum nostris debemus subijcere oculis, altèque infigere mentibus; vt diuinam hic nobis, non nostram causam agendam arbitremur. Procul hinc omnis efferata cupiditas, quæ animum quemcunque obsederit, inuaserit, sui impotem reddit, in præceps trahit, & nulli rationis repagulo obtemperantem in vorticosos, ac cæcos malorum gurgites, excita veluti furiali tempestate deuoluit: procul hinc humanarum affectionum contagia, quibus homo si inficiatur in brutam fæditatem degenerat: procul hinc demùm quidquid à pietate est procul, atque à Sacerdotali fide, prudentia, lenitate alienum. Dei nempè causam acturi hic sumus, qui Dei in terris vicem sustinemus, *auctoritate fungimur*: nil ergò nisi diuinum spirent animi, facies, voces, oculi, frons: nil nisi diuinum studijs insectemur, & votis: nil cogitationibus reuoluamus, nisi quod aptum, atque vtile sit ad Religionis cultum promouendum, ac Dei veneratiõnem nostris mentibus inserendam.

Ecquis est, qui Peripaton vel primo à limine salutarit, cui solemne illud, ac celeberrimum Philosophorum effatum sæpiùs in aures non incurrerit, Cælum à peregrinis impressionibus immune totis sæculis perdurare? Nulla siquidem cæ-

lestem

leſtem puritatem contaminat lues, nullus commaculat næuus, nulla terrenorum halituum corruptela pertentat; & tamen terrenis cum rebus commercia iugiter exercent, & inuiolabili quodam nexu cùm caducis hiſce corporibus ſuperna illa, atque immortalia æterno veluti fœdere ſociantur.

Quàm graphicè clericalis vitæ diſciplinam cœleſtis hæc pulchritudo deſignat! quàm concinnè, quàm ad viuum tenendam à nobis in moribus rationem in Cœlis deſcriptam legimus, delineatam intuemur!

Cœli ſunt nimirùm Sacerdotes, quos ſicut celſitudo dignitatis extollit, ita & illibata integritas conſpicuos, pellucidoſque faciat, neceſſe eſt. An non obuium eſt cuique in ſacrarum litterarum ſtudio tantum non peregrinanti, viros diuino cultui addictos præclaro Cælorum nomine ſæpè eſſe indigitatos? Cæli ſumus (abſit verbo tumor) Cœli ſumus, quotquot hic ſumus, auditores: agite per veſtram generoſitatem Veneta indole, ſacro pectore dignam agite, & neruos omnes intendite, vt quanti quanti ſumus, Cœli ſimus.

Cœli ſumus dignitatis eminentia, Cœli ſimus vitæ innocentia, Cœli ſumus, quos ſpiritus Domini ornauit Cœli ſimus, qui gloriam Domini enarremus: Cœli ſumus, qui in mundo verſamur, Cœli ſimus, quos à mundi amore ſeiungat illimitata longinquitas: Cœli ſumus, quibus ſubiecta ſunt mundi elementa, Cœli ſimus, ne putidas mundi quiſquilias amplexemur: Cœli ſumus, quibus alijs præeſſe datum eſt, Cœli ſimus, quibus nihil, quàm alijs prodeſſe antiquius ſit: Cœli tandem ſumus, qui terram regimus, Cœli ſimus, qui Cœlum aſſiduè meditemur.

Et quoniam ad Cœlorum ſublimia euecti ſumus, quidni in diuinæ beatitatis ſolio pedem figamus? Cùm ad Cœlos noſtra opportunè Oratio appulerit, velim (ſi per vos licet) à Cœlis non niſi Cœleſti aliquo acroamate imbuti recedamus. Cauendum hic verò vobis omninò eſt, ne dùm ad Cœli faciem intuendam vos prouoco, mentis aciem, aut humi deiectam, aut in ſublime remiſsiùs intentam teneatis.

In illum lucis regionem, ac roſeo ſyderum fulgore teſſelatas ſemitas toti aſſurgitæ, obtutum erigite, quidquid enim ibi ad videndum amœnum, ad ſpeculandum iucundum, ad mirandum inſigne occurrerit, doctrinæ facem accendet noſtris

men-

mentibus colluſtrandis idoneam, & aureâ ſijderei ſplendoris facundia aureos inſtituendæ vitæ (vel me ſilente) canones eloquetur. Duo ſunt potiſſima, quæ in cælis ſuſpicienda deprehendo, quorum intenta ſpeculatio terrena omnia noſtris ſubſternet pedibus, fugientium bonorum amorem expunget, & ad virtutem capeſſendam refugos accerſet, plumbeos exacuet, inflammabit deſides, coget refractarios. Hæc nimirùm ſunt, quæ curſim annotata paullò antè expediui, præeſſe ſcilicet, & prodeſſe.

Præſunt cæli ſublimem locum ſortiti, proſunt fæcunda virtute ditati: præſunt terræ, quia altiores; proſunt: quià meliores: præſunt, quià celſitudinem obtinent; proſunt, quià faciunt vbertatem. Ennobis ad amuſſim expreſſim iconem Sacerdotis: en luculenter munerum, quæ à Sacerdote expectanda ſunt, in inſigni cælorum ſchemate graphidem adumbratam Veſtram hic fidem enixè exoro, atque humi aduolutus obteſtor, vt mihi ſublimia permeanti adſitis animo, dùm ea, quæ de cælorum natura præloquutus ſum, refero ad Sacerdotij apicem aſſecutos.

Et quidem illud velim primò bibulis auribus excipiatis intimis ſẽſibus reponendum, illam, quam æterni illi orbes natalitiam pulchritudinem oſtentant, ingenitumque decorem, nobis aurem vellicare, vt vitę integritate, morum candore, diuinarum rerum indagine, ſacrarum litterarum ſcrutatione, Religionis cultu, ſtudio ſanctitatis imitemur. Si quandò vaſtam illam, & ſuprà quam credi proteſt, à nobis ſemotam altitudinem admiramini, id vobis memoriam refricet, ſuprà terrenarum dignitatum faſtigia veſtram multò altiùs excedere dignitatem.

Date, date Principe, ſi placet, date dynaſtas, quos faſtoſa ſtipet maieſtas, acclinis mundus adoret, date Reges ſceptro verendos, dominio magnos, viribus præpotentes: totum quidquid ſoli, quidquid ſali, quidquid ſub ſole eſt, vni addicite, terrarum fingite Dominum, & de adulationis lenocinio ampullaceo agnomine co'marcham conclamate. Quantulam demùm rem fore arbitramini oculis non lipientibus, non caligantibus Regem ter licet humano more maximum, ſi Sacerdotum vilibet comparetur?

Vnam hanc e millibus profero huiuſce veritatis ſuadelam. Quę-

cumque surgit ; (dicam aptiùs) quæcunque repit terris cubitalis Maiestas, duobus, auro nimirùm, & ferro consistit, & viuit veluti elementis, quæ ex latebrosis terræ scrobibus gehennæ conterminis eruuntur. Hic verò mihi imperare non possum, quin genio plusculùm indulgens buccis turgentibus tonem, Regiam omnem potentiam, & dignitatem cunas h bere Tartari germanas. Nostra verò (ne me fumos venditare arbitremini, dum rem testatam loquor, cui fidem adstruit diuina tuffiaganea Veritas) nostra, inquam, dignitas non auro pellax, non ferro minax, nullo adscititio adiumento crescens, sibi ipsi vna sufficiens in Cœlis fixit cunabula, dùm è Cælis duxit exordia : & cùm terrei Dynastæ ea propter sint veren li, quòd rectrices hominum manibus commissas flectant habenas, quanta demum erit Sacerdotibus impendenda veneratio, qui non homines, sed suis habent manibus commissum Deum? Manus hi inferunt Cælo, & Deigenæ (si fas est dicere) vocis imperio captiuum deducunt Cælis Cælorum Regem.

Neque verò me rigidior censura perstringat, quòd durè nimis captiuum dicam in manibus Sacerdotum Deum. Captiuum dico, quem suus captiuauit Amor, captiuum dico, quem canibus multis, & tauris pinguibus. (ità regio præcinente Psalmographo) prædam fecit diuina charitas suis vinculis irretitum. Hoc est nimirùm (quem Orationi meæ collimandum scopum prefixi) Cælum esse, auditores. Hoc est, quod nobis de suscepti Sacerdotij munere auctarium venit, in terris Cælorum instar præesse.

Monet nos, vrget nos, & stimulis velut adactis cogit cæleftis huiusce nomenclaturæ excellentia, vt illud caueamus immane monstrum, ne cœnum commaculet Cælum, ne venustissima Cæli facies fœditate luteæ asperginis obscuretur. An non æquum erit, vt quicunque clericam vitam ineundam sibi proposuit, Religionis sacramento authoratus omnem vitiorum eiuret tyrannidem? res esset alioquin nimiùm deploranda, alienæ salutis opificem propriæ fieri damnationis Architectum; An non probrum erit vix vllo piaculo redimendum, à Deo terris datum Angelum Circæo voluptatis poculo in pecudem transformari? An non mostrum erit horrendum, ingens, Sacerdotē diuinas iras suis vocibus excā-

tantem

tantem in suum caput aggerare clades, extorquere fulmina?
Quæ nos igitur (malum!) prestigiæ dementant? quo fascino hebescimus, quin manibus pedibusque adnitamur, huc omnem nostram conferamus operam, in hoc tori simus, vt qui caduceatores veluti ad sacras aras accedimus aliorum prouentu fecialem victimantes hostiam, de nostra priùs salute solliciti nobis opportunè pacem aucupemur? Id cōmodè, laudabiliter, vtiliterque fiet, si mentes nostras, si vires, si studia quidquid possumus, quidquid sumus, diuinæ voluntatis arbitrio emancipemus. Hoc hoc est, quod nunquam satis inculcauerim, in terris Cælum esse, hoc est Cælorum instar præesse in Ecclesia, & inter mundana inquinamenta illibatum, atque à sordibus immunem animi tueri candorem.
Tùm demùm præclarè fungemur & altero Cælorum munere, quod est subiectis prodesse corporibus, vt ijs scilicet, quibus præsumus, prosimus, prosimus sanctitate, quibus præsumus dignitate. Prosunt cæli, dùm præsunt, prosunt, inquam, cùm terram suis fœcundant influxibus, atque in infima hæc elementa suarum profundunt virtutum diuitias, quibus vniuersa hæc rerum encyclopœdia perpetuò cōsistit, & viget, & noua semper succrescente sobole iuuenescit.
Viuidam hanc, atque proliferam cælorum fecunditatem an non par est, æmulentur Sacerdotes, vt terram, hoc est homines terrena sapientes, terrena scrutantes, terreis hisce peritiis (quid dico perituris?) immò verò perpetuo fluxu pereuntibus, captantisque manum fallentibus bonis incubantes, totos inhærentes (semel dicam Veritatis verbo) homines interris thesaurizantes diuinæ claritatis irradiatione collustrent, cælestis doctrinæ rore perfundant, & iacto viuifico Sacramentorum semine feraces reddant ad pretiosam virtutum segetem educandam?
Qui hæc, mentis acie tenebris offusa, non cogitant, nec curant, & tamen sacrarum dignitatum apices, aut obeunt, aut ambiunt, ominosum illud, atque exitiale veh pastoribus Israel Ezechielis ore intentatum reformident. Sacerdotes sacerdotio abutentes, hoc est Cælos simo squallidos, situ inertes, desidia marcidos, malo otio torpentes, iaculo suo ferit, & configit hic Deus, ita detonante Propheta. Quod infirmum fuit, non consolidastis, quod ægro-

tum non sanastis, quod confractum non alligastis, quod abiectum non reduxistis, & quod perierat, non quæsistis.

Quem locum egregiè versat, & sui luce vestit ingenij Hipponensis Præsul, dùm sui enumerans partes officij, se ipsum Ecclesiasticis viris ad imitandum proponit ideam. Me, inquit, ità sibi commissos populos alloquutus, me putate, Matrem esse animarum vestrarum, & ità vos velle componere (sicut Mater filiam proprijs manibus componit, & ornat) vt in vobis nec macula, nec ruga possit antè tribunal æterni Iudicis apparere. Animabus enim vestris non solùm ornamenta, sed etiam medicamenta desiderans prouidere, studeo dissuta consuere, consciscia sarcire, vulnerata curare, abluere sordida, reparare perdita, & ea, quæ sunt integra, spiritualibus margaritis ornare. Hoc est, enim verò Sacerdotem esse, hoc est in Ecclesia Dei Cæli partes agere, quod prodest dùm præest: nec enim nobis quidquam præesse profuerit, nisi alijs quoque prodesse satagamus.

Quod vt dignè præstemus, illud velim menti penitus infigatur, Cælos dùm citata vertigine circà terræ molem rotantur, vt beneficia beneficijs accumulent, a suis nunquam cardinibus dimoueri, & dùm omnem locum lustrant, locum nunquam mutare, sed sua semper sede fixos immobili mobilitate permanere. Illud nobis documento sit inter laicos viros degentibus, ne laicis moribus imbuamur, ne nos turpiter proijciamus in vulgus, sed intaminatæ vitæ nitorem præferentes, ac parem dignitati grauitatem seruantes, à loco, quem sublimem in sorte Domini nacti sumus, non excidamus.

Nonne sannis meritò exciperetur, & sibilis maturæ ætatis vir, si ad bullas, si ad crepundia puerliter inhiaret, ijsquè potius totus effusus in gaudium subsiliret? Non absimile profectò nobis à Deo pertimescendum est probrum, si quæ manibus tractamus, alijsque dituidimus mysteria, quæ scatentes sunt cælestium diuitiarum fodinę, naucifacientes, sordidis quæstibus abliguriendis intenti densum lutum (quam notam sacræ literæ aggestis diuitijs inurunt) heluemur, aut voluptatum mancipia effecti, propinarum turpiter nidore capiamur, & ventri litemus. Hoc dubio procul, non est virum esse cælesti militiæ addictum, diuino ceromate delibutum, hoc cælum esse non est, nec enim ad istas infan-

das

das curas deicti prodesse cuiquam possumus, aut cum dignitate præesse, quæ vt Cæli simus, qui gloriam Domini enarremus, geminæ sunt presbyterij nostri appendices.

Eequam aliam arbitramini causam extitisse, vt in Ecclesia Dei Sacræ Synodi statis temporibus celebrarentur, nisi vt in suo præclarè continerentur munere Ecclesiastici viri, videlicet ne à suis exorbitarent moribus Cæli certam itinerum suorum legem tenentes: Clericorum enim vita ad honestatis canonem conformata, & in diuinis rebus administrandis exacta disciplina vniuersę plurimum prodesse potest Ecclesiæ, sicut & morum corruptela, & effrenata viuendi licentia flecti nescia, parere recusans maximam solet patturire perniciem.

Satis propitium me arbitrabor celeberrimæ huic Synodo auspicium prætulisse, omne mihi videbor tulisse punctum, si vos quidquid versetis animo, quidquid meditemini, quidquid aut agatis, aut agendum decernatis, si vos, inquam, (quod vnum euincere contendo) Cælos esse memineritis. Interim pro coronide vos monitos velim, cęlestes orbes, si ad terreum globum comparentur, situ, loco, figura, pulchritudine, celsitudine mirabiliter eminere, si tamen inter se ipsos conferantur, alios alijs præesse, & subesse, omnes verò vnius supremi orbis, à quo continentur, & in perpetuas vicissitudines aguntur, motibus quasi legibus circumferri: Tunc harmonicum quem per tot annorum chiliades edunt suarum rotationum concentum cum irreparabili cunctarum rerum iactura perturbarent, si primam sphæram subiecti orbes sibi vellent habere pedisequam, non ipsi illius vertiginem sequi, si vel latum vnguem à peripheria sua in obliquum declinarent.

Cæli sumus (sinite in crebra tàm fausti nominis in auguratione exanguem alioquin, & frigentem orationem efferuescere, & liberiùs exultare) Cæli, inquam, sumus, quotquot Sacerdotio initiati sumus. Quidni ergò vnius supremæ (auspicatiùs loquar) eminentissimæ Sphæræ, quæ nos suo sinu, & continet, & fouet, ductum sequamur? quidni, inquam. Illustrissimi, ac Reuerendiss. Hierarchæ nostri nutibus celerrime obtemperemus? Florentissimam hanc Diœcesanam Synodum tùm ad ea, quæ communi bono, publicæ què vtilitati futura sunt; decernenda congregatam gaudet Religio-


image
not
available

molte cose, per gl'abusi:) Inherendo à dette Visite, Constitutioni, e Decreti, con le presenti Ordiniamo, e commandiamo la loro essecutione à chi respettiuamente s'aspetta, & in particolare nelle cose infrascritte; ad effetto, che con l'accesso Nostro alle Chiese possiamo più tosto trouare l'essecutione fatta da gl'Ordini con commendatione de Visitati; ch'essere stimolati alla pena contro li Contumaci: persuadendoci, che tutti antianamente ammoniti, siano per corrisponderci con Santo Zelo, à Gloria di Dio, & consolatione commune.

Della S. Messa, & Habito Clericale.

Primieramente dunque tutti li Sacerdoti nelle Sacre Ceremonie della Santa Messa si conformino con le Rubriche del Messale Romano, & Auertimenti già stampati d'ordine di questo Patriarcato, per renderne conto nell'essame, da farsi ad arbitrio Nostro nelle Visite particolari delle Chiese, in essecutione delle dette Constitutioni.

